REPROBATIO
APOLOGIÆ NOVISSIMÆ SAMVELIS MARESII, SEV DES-MARETS,
PROFESSORIS PRIMARII (PRÆTENSÆ) THEOLOGIÆ, GROENINGÆ, 1654.

Quaſi *Pro S. Auguſtino, Ianſenio, & Ianſenitis: contra Pontificem & Ieſuitas, ſeu illius Conſtitutionem nuperam in 5. Propoſitiones condemnatas.*

Sed potiùs pro ſe ſuiſq; Caluiniſtis: contra verum ſenſum & conſenſum omnium fidelium; quos gloriatur ſe habuiſſe complices doctrinæ, ſed nullatenus hæreticæ pertinaciæ.

Per F. MATTHIAM HAVZEVR, Prouincialem FF. Min. Recollectorum Prouinciæ Flandriæ.



CENSVRA ET FACVLTAS ORDINARII.

Lecta, relecta, & Studioſè collata hac Reprobatione, cum reprobatis à R. P. F. MATTHIA HAVZEVR, Prouinciali Recollectorum: fidem facio totam expreſſam eſſe ex maioribus eius operibus eiuſdẽ doctrinæ in *S. Aug. & libros 4. Sent.* à meipſo examinatis & approbatis; cenſeoq; editione digniſſimam, imò & neceſſariam contra has calumnias hæreticas in Sacram Conſtitutionem S.D.N. INNOC. *X.*

MATTHIAS NAVEVS, *S. Theol. Doctor, Canonicus Theol. &* Lib. *Cenſor. 1. Dec. 1654.*

TORNACI 1654.

ILL.^MO ET REV.^MO DOMINO.

D. FRANCISCO

DE VILLANI A GANDAVO,

EX COMITIBVS ISEMGHEMIIS,

BARONI DE RASSENGHIEN,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPO TORNACENSI,

Eiusdem S. Sedis Obseruantissimo, & contra subreptitias hæreses omnemque prauam doctrinam vigilantissimo, vt primo huius Opusculi Motori, seu Monitori

D. C. Q.

ILLme & R.^me Vt Deus primus motor Cœlestis Hierarchiæ mouet ordinatissimè omnes eius ordines, vsque ad infimum Angelorum: & vt primus motor cœlorũ ita mouet omnes orbes inferiores motu cõmuni primi mobilis; vt nullius motum propriũ inuertat, sed vsque ad minimam causam secundam, singulas motus suos agere sinat, ex S. Aug. 7. Ciuit. 30. *Sic & S. D N.* Innocentius X. *vt primus Vice-motor Ecclesiasticæ Hierarchiæ, sua Cõstitutione mouet omnes eius Ordines, maiores & minores, motu communi fidei Catholicæ, contra* 5. *Propositiones condemnatas. Cui primo motui omnes orbes concentrici, seu inter se subordinati, imò & excentrici, seu primo motori ac mobili immediatè subditi, sine vlla propriorum motuum perturbatione, vel vlla solis, lunæ, minimæue stellæ ecclipsi, promptissimè paruerunt. Solus quidam* Samuel *inuersus, Syriacè* Elumas, *cognomine notiori* Des-Marets, *de varijs præstigijs & imposturis hæreticis ab anno* 1634. *nostris Exorcismis Catholicis tacite conuictus: tandem vt Pseudo-Samuel ab illa* Pythonissa 1. Reg. 18. *suscitatus, vel strepitu causæ* Iansenianæ *euigilans, ex sua hæreseos Palude, Arcem Ecclesiæ ad eius munitionem & expurgationem cin-*

SEmipelagianum est, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudiße.

SAMVEL p 30. Citat *Iansf. Paral. c. 1. n. 14.* Et *l. 3. de Grat. Christi c. 20.* Pag. 56. *Semipelagiani Anathema denunciant dicenti, quòd Christus non pro omnibus mortuus sit &c. Mirum est Prop. damnandã non fuisse sic conceptam. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus mortuum esse: cum reuera pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit.*

1. P. 99. Ex Sacris Script. *quæ restringunt mortem Christi, pro Filys Dei, pro populo Christi, pro eius amicis, pro eius corpore seu Ecclesia, Matt. 1. 10. Ioan. 11. 15. Act. 20 Ephes 5. Et excludunt mundũ ac reprobos, ab intercessione Christi. Ioan. 17. & 1. Ioan. 2. P. 100.* 2. Cor. 5. *Si vnus pro omnib⁹ mortu⁹ est: omnes mortui sũt .i.* IN CHRISTO, *vt in suo Vade & Capite.*

2. P. 106. 107. Ex Conc. *Lugdunensi, Valentino 3. Lingonensi, & Tullensi: contra quatuor capitula Hincmari, de morte Christi pro omnibus.*

3. P. 107. Ex plurimis Põtif quasi pro doctr. *Aug.*

4. Ex SS. Patribus. P. 104. Iustinus *Dial. cum Tryphone. Christus passus est pro cunctis resipiscere volentibus.* Cyril. Alex. *l. 2 in Ioan. c. 19 Saluator, Ioan. 17. pro mundo se rogare abnuit. Sed* 1. Ioan 3. *Pro vniuerso mundo .i. Non pro Iudæis tantum. Christus autem suos à non suis separãs,* pro eis, *inquit* tantùm rogo. *Nam quorum mediator est, ipsis tantũ mediationis bonum attribuit.* P. 105. *Amb de fide ad Grat.* l. 4. c. 1. *Si non credis, non tibi passus est Christ⁹.* Epist 23 l. 5. *Pro quibus passus est, pro ys interpellat & spiritus.* Hier. *in Mat. 20. Non pro omnibus, sed pro multis.* Aug. *Epist. 102. Non perit vnus ex illis pro quibus Christus mortuus est Lib. 1 de Adult. cõiug. c. 15 Omnis qui Christi Sanguine redemptus est, homo est: sed non omnis qui homo est etiã Sanguine Christi redemptus est.* Hinc exponit *1. Tim. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri: non de omnibus & singulis; & restringit nomen mundi pro quo Christus dicitur mortuus, ad Ecclesiam.* Prosper. *l. 1. de vocat Gentiũ c. 3. In electis specialis quædam censetur vniuersitas: vt de toto mundo totus mundus liberetur.* Episcopi Afric. ex Sardinia: *Omnes prædestinati, ipsi sunt quos vult saluos fieri.* Greg *l. 1 Hom 2 in Ezech. Pro electorum vita se tradidit.* Bern. *Serm. 10 in Psal. 91. Christus mortuus est pro fratribus, & amicis* Haymo *In 1. Cor. 5.* Hugo Card. *ad cap 20 Mat.* Petrus Galat. *l 8. de Arcanis &c.* P. 106 B. Lupus Seruatus. Remigius Lugd. *Cum sua Ecclesia, negat Christum vllatenus venisse aut passum esse pro impijs ante se mortuis, vel morituris, minùs pro ipso Anti-christo.*

5. Ex hac ratione, præ alijs Philosophicis & Scholasticis. P. *102. Vltro largimur, tanti valoris fuisse litrum, vt omnibus & singulis potuisset sufficere: sed negamus sic datum vel acceptatum fuisse. Dicesne, pro quibusdam absolutè pro aly sub conditione, quam nec Deus illis præstare decreuit?* Pag. 103. Contra vniuersalitatem gratiæ. P. 104. *Si quas gratias gratis datas consequũtur reprobi in vsum Ecclesiæ: non illis meritis est Christus, sed suæ Ecclesiæ. Si qui reprobi illuminantur: non est adscribendum gratiæ medicinali ex morte Christi pro ipsis, sed prouidentiæ communi, ne in plura ruant peccata, & aggrauent suam damnationem.* Hæc ex pluribus superfluis.

FAlsam, Temerariam, Scandalosam; & intellectam eo sensu vt Christus pro salute dumtaxat prædestinatorũ mortuus sit, Impiam, Blasphemam, Contumeliosam, diuinæ pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. S. D. N. INNOC. X.

1 Ex Sacris Script. *Rom. 5* Sicut multi per Adamum: ita multi per Christum &c. Ergo saltè non tam pauci. *6.* Omnes baptizari in morte Christi. 14. Noli cibo tuo perdere illum pro quo Christus mortuus est. *1. Cor. 8.* Peribit infirmus frater, propter quem Christus mortuus est. 9. Ne fortè ipse reprobus efficiar. *2. Cor 5.* Si vnus pro omnibus mortuus est: Ergo omnes mortui sunt *1. Tim. 2.* Orandum pro omnibus, &c. Hoc enim bonum est coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, &c. 4. Est Saluator omnium hominum, maximè fidelium. *Heb 6.* Iterum crucifigentes in se &c. *10.* Spiritui gratiæ contumeliam fecerunt, &c. *2. pet. 2.* Eum qui emit eos Dominum negant. *1 Ioan. 2* Est propitiatio pro peccatis nostris, &c. sed etiam totius mundi.

2. Ex Symbolis fidei. Qui propter nos homines, &c. Crucifixus etiam pro nobis &c.

3. Ex varijs Conc. Vt *Trid sess 6. c. 3.* Etsi Christus pro omnibus mortuus est: non tamen omnes mortis eius beneficium recipiunt.

4 Ex ipso *S. Aug l 6 in Iul. c 4 6. L. 2 Operis imperfecti. n 128.* Conuincit Iulianum de peccato Orig. omnium & singulorum, etiam infantium: ex morte Christi pro omnibus mortuis in Adam. *In Psal 68.*, Iudas non agnouit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat. *Psal 95. Iudicabit Orbem &c.* Non partem: quia non partem emit. Totum iudicare habet, qui pro toto pretium dedit. *Tract. 4. in Ioan.* Saluatorem suum, fecerunt damnatorem suum. *L. 2. Conf. c. 2 Homil 23.* & alibi sæpè tribuit gratiæ Dei & Christi omnem præseruationem à peccatis, vel à pluribus & grauioribus, etiã per mortem: ex *Sap 4. Raptus est &c.* Refertq; cum laude, *cap. 10 de Dono Persev.* sensum acutum cuiusdam Doctoris Catholici, Christum non prædicasse Tyrijs; ne ex relapsu præuiso grauiùs damnarentur. *Lib. 21. Ciu. cap. 14. Enchir. 10. De Patientia cap 26.* non negat mitigari pœnas damnatorum in Iudicio, vel ante: ex aliqua gratia Dei & Christi. *Lib. de Symbolo ad Catechumenos c 8* Per vos & propter vos latus apertum est, neq; tamen intrare voluistis. *Lib de corrept. & grat. c 14.* De⁹ vult omnes homines saluos fieri *1. Tim. 2.* Multis modis intelligi potest; sed vnum dicam .i. Omnes prædestinatos. *c. 15.* Potest etiam intelligi: Quoniam nos facit velle. *Epist 107* Quia nonnisi ipso volente salui fiunt. Et si quo alio modo illa verba intelligi possunt: vt non sint contraria illi veritati, qua videmus multos, nolente Deo, saluos nõ fieri. *De Spir. & Lit. c. 33.* Non sic vt eis adimat lib. Arb. quo benè vel malè vtentes iustissimè iudicetur. *Epist. 99.* Christus ab initio generis humani, vel ad arguendos malos, vt *Cain, & Adam*; vel ad cõsolandos bonos, vel vtrosq; admouendos, in spiritu, non carne veniebat. *S. Prosper* l. 1. & 2. ex professo de hoc ipso. De quo infra, & de illo POSSE, SI VELIMVS.

CONCOR-

DIscernendo credenda ab alijs. 1. Credendum est, *Christum non esse mortuum pro solis Prædestinatis.* Quia multi alij in morte Christi baptizantur & verè iustificantur, vt supra contra Frontispicium. Nec obstat *1.Ioan.3.* Non erant ex nobis, &c. Quia ex *Aug. de Correpț. & grat. c.7.* Non quia iustitiam simulauerunt: sed quia in ea non permanserũt. Nec quòd *Aug.l.4.in Iul.c.4.* Reproborũ neminẽ Deus adducit ad pœninentiam salubrẽ. Quia agit cõtra *Iul.* qui negabat vllos tradi à Deo, *Rom.2.* sed per patientiam expectari ad pœnitentiam, ex *Rom.9.* probans tales à Deo traditos, si reprobi sint, non expectari & adduci ad veram pœnitentiã salubrem, minimè autem ad finalem, quæ sola simpliciter salubris est ad salutem æternam.

2. Credendum est ex hac Constitut. *Non esse Semipelagianum, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Quia hoc nunquam imputatum fuit illis in hæresim: sed fingebant imò excedebant in quibusdam zelum Catholicum, Anathematizando non consentientes &c.

3. Videtur etiam credendum, non esse hæreticũ, dicere Christum non esse mortuum pro omnibus & singulis qui nullam vnquam gratiam Christi receperunt: sed esse opiniones liberas inter fideles, secundùm pium cuiusq; sensum, & affectum spei, vel timoris, prædominantis. Inter quas, præferenda est quæ tribuit Christo redemptionem omniũ. 1. Quia gloriosior est Deo & Christo. 2. Quia expressior in sacris Script. Symbolis. Conc. Patribus, ipsoq; Aug. 3. Quia est secũdùm sensum communẽ fidelium. 4. Quia est rationabilior. 5. Quia faciliùs verificartur.

Distinguendo. 1. inter voluntatem diuinã, quæ fortè semper est absoluta: & inter humanã Christ, iquæ fuit conditionata *Mat.26.* Pater si possibile est &c. Vnde resoluitur grauis illa diff. *1. Tim.2.* QVI .i. Christus VVLT, volũtate diuinâ absolutè omnes saluandos saluari: voluntate autem humanâ, omnes & singulos. Quem sensum inter alios, *S.Aug.* approbat, de velle Dei per nos: quanto potiùs per suam propriã voluntatem humanã. Quæ nunquã dissentit absolutè à suâ regulâ diuinæ: sed solùm conditionatè ab eius obiecto externo.

2. Inter, Christum omnes redemisse, & omnes redemptos esse. Quia licet actio realis non possit esse sine passiones: potest tamen esse estq; sæpè moralis. Hinc dictum *Aug.l.1. de Adulter. Coniug.15.* & similia, possunt facilè cointelligi.

3. Inter, mortuum esse simpliciter, & æqualiter pro omnibus: & inter mortuum esse aliquo modo, & inæqualiter pro singulis. Sic enim conciliari possunt omnia dicta simpliciter, antonomasticè de solis prædestinatis: & reliqua aliquo modo & inæqualiter de singulis. Nam mortuum esse pro omnibus .i. pro salute omnium: Æterna quidem prædestinatorum; aliqua autem salutè à peccatis præteritis, iustificatorum; à pluribus vel grauioribus committendis, omnium & singulorum, per aliquam gratiam præseruationis. Cùm enim Christus Iesus sit ex officio proprio Saluator à peccatis: nulla salus, aut modus saluandi à peccatis, potest esse nisi per illum. Cũq; tota massa seu chaos nostræ naturæ corruptę, sit malitiæ finitæ in infinitum: nõ potest eam moderari seu continere citra peiorem, nisi ex aliqua gratia, vltra prouidentiam Dei connaturalẽ, secundùm inclinationem malitiæ in peius. Hinc nemo potest sine gratia cauere vllum peccatum: quia hoc ipsum est salutare, sicq; pertinens ad IESVM Saluatorem.

4. Inter affirmationem mortis Christi pro omnibus, & negationem mortis Christi pro aliquibus. Illa posset verificari antomasticè, pro electis, & ad salutem æternam: Hæc non nisi per negationem cuiusuis modi saluandi, & cuiusuis salutis. Vnde plurima conciliari possunt: vt illud *Aug. Non perit vnus ex illis pro quibus Christus mortuus est.* Imo & hoc, *Non omnis homo est Christi sanguine redemptus.* Quia prior propositio est quidem negatiua perditionis vllius: sed est affirmatiua mortis Christi simpliciter; sicq; pro principali significato redemptionis. Hæc est quidem negatiua subiecti: sed affirmatiua prædicati simpliciter.

Supersunt ergo tres difficultates. 1. De morientibus sine baptismo ante vsum rationis, vel participationẽ vllius gratiæ Christi. *Resp.* Tales posse per gratiam ante vsum rationis eripi ex periculis peccandi actualiter. Deinde vt censentur virtualiter recepisse & amisisse gratiam & statum illum beatum in *Adamo:* cur non etiam virtualiter recepisse gratiam oblatam per Christum, in Prophetis, ac Apostolis, & alijs missionarijs: amisisse autem per suos maiores & Parentes, qui noluerint credere, nec vti Sacramentis à Christo institutis?

2. De Pueris morientibus in vtero. *Resp.* Non potest tribui causis naturalibus: sed soli culpæ originali, quæ demeruit primam ordinationem, vel fortè etiam alicui defectui parentum aut maiorũ. Possuntq; & sic præseruari à periculis peccatorũ actual.

3. De illis qui dicuntur POSSE SI VELINT, sed numquam velle cum illo posse: sicq; nullam inde salutem, sed grauiorem reatum culpæ & pœnæ.

R. POTEST SI VVLT .i. sensu vulgari, liberè. Ad quid ergo intricare illud, SI, quasi esset conditio repugnans, necessaria, & deficiens ipsi POSSE. Nec sic intricat *Aug.* addens, *Sed non est potestas nisi à Deo, Sed præparatur voluntas à Deo.* Nõ quasi nulla præsit à Deo necessaria ad posse, nisi quis velit: sed quòd primum posse per gratiam præuenientem, sit ad aliquod bonum velle liberè; non autem ad quodlibet bonũ, nisi ordine gratiæ, ad credere, orare &c. vt *Aug.* sæpè. Nec obstat quòd comparet posse bonum, non sine gratia: cùm posse videre, non sine luce. Quia vt nemo potest videre, nisi præter visum, habeat, vel possit habere lucem necessariam: sic nec potest bonum, nisi præuentus aliqua gratia, possit impetrare aliam ad hoc necessariam. Hinc *Arausį.2. can.25.& Trid.sess.6.c.4.* definiunt præuentos gratia, posse consentire, vel dissentire, SI VELINT. Ergo illud, SI, non est conditio ad posse, nec ad velle: sed est expressio libertatis exercedæ. Nec est ad hoc alia determinatio, quàm ipsum velle: præinclinante, non necessitante vlla gratia, nec cõcupiscentia. Sed potest Deus prædeterminare omnia realia: solùm permittendo mala, & inclinando ad bona.

Ne autẽ videantur illa de tã copiosa Christi redẽptione minùs fundata: consulatur *B.Aug.* tota Epist. 99. & *S Prosper lib.1.c.8.9. Lib.2.cap.1.2.* vbi refert duos titulos communis redemptionis. 1. Vnam omnium naturã. 2. Vnam omniũ causam, à CHRISTO SVSCEPTAM. Hæc ex plurimis nostris in *Aug. & Libros 4. Sent. ad* FINEM DEVM. 1654.

SAMVEL SAMVEL, *1.Reg.2.* SAVLE SAVLE, *Act.9.* Vtinam & tu, vt ille: *Ecce ego &c.* & vt hic: *Domine quid me vis facere?* Si quo enim affectu Christiano tuam etiam salutem curamus: quanto potiùs Deus & Christus ipse? Quamuis ergo tuis cumulis cumulatè responderimus: nec tibi desit ingenium ad singula singulis applicāda. Ne tamen nimia verborum parcitate videamur tibi defuisse: Ad tuam illam rationem à definitione August. Prædestinationis, quòd sit *gratiæ præparatio*, sicq; nulla gratia sit præparata non prædestinatis, quò tota tua collimat intentio. *Resp.* Liberaliùs, prædestinationem esse præparationem gratiæ præsentis, ad æternam, vel potiùs huius per illā. Nam *Rom.6. Gratia Dei*, etiā anthonomasticè, *vita æterna est.* Solis ergo prædestinatis illa gratia æterna per hanc absolutè præparata est. Reliqui autem, vel non sunt omni gratia actuali in Adamo priuati: vel aliqui saltem per Christum ad gratiam veræ regenerationis & iustificationis restituti. Nec obstat *B. Aug. l. 5. Contra Iul. c. 5. Cæteri .i. non prædestinati, ad vtilitatem nascuntur istorum .i.* prædestinatorum. *Non enim Deus quenquam eorum temerè creat, &c. Cum & hoc ipsum bonum operetur, quod in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem sæculi præsentis exornat.* Quia hoc consequenter ad culpam originalem sufficeret, ne quis temerè creetur: sed fortè non sufficeret ante culpam, creasse vllam naturam aut pleraq; eius indiuidua capacia cognoscendi & amandi Deum super omnia, nisi ex intentione dandi eis media necessaria ad hanc aliquam perfectionem, saltem naturalem, imò & supernaturalem, ex aliquo vero saltem simplici affectu Dei, si quis talis non sit indignus Deo.

Sed nolumus tecum extra sphœram fidei saltare: nec tuam choream sequi per controuersias scholasticas, & historias ac causas incertas inter *Hincmarum* & *Godescalchum.* Cùm certa & viua voce & praxi continua totius Ecclesiæ conuincaris, plures quàm prædestinatos seu saluandos vocari, regenerari, & iustificari, vera, & interna gratia Dei per merita Christi, sed sua culpa non perseuerare.

Ad quædam testimonia negatiua passionis, orationis, aut mediationis Christi pro alijs quàm pro prædestinatis. *Resp.* Nullum esse purè negatiuum omnium: nisi fortè illud *Cyrilli*; sed solùm quoad effectum principalem, non autem quoad verum affectū Christi ad salutem omnium suorum fidelium, verè baptizatorum ac iustificatorum, imo & omnium vocatorum. Quis enim blasphemet, Christum finxisse, & non expressisse verum affectum ad salutem Iudæorum quos sub nomine *Hierusalem* deflebat dicēs *Luc.19.* Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua &c. Vel ad salutem *Iudæ*, præbendo ei osculum, eumq; monendo, *Amice ad quid venisti?* Quod si ex *Aug. Epist.99.* Christus ex hoc affectu præuiso præuenit spiritu suo seu motu gratiæ ipsum *Adā, Cain, &c.* Quanto potiùs ex affectu præsenti, *Iudam*, tortores suos, & impios vsq; ad Antichristum, nisi nimia rebellione demereantur? Quæ maledictio ne te tandem obruat, SAMVEL, SAMVEL, iterum tibi inclamo. Væ tibi à terribili casu vestri SOMASII ad aquas Spadanas 1653. teste eius vxore, subministro STVVART, medico quodam, & alijs quorum nominibus parco. Væ, inquam, ne & tu tandem præ furore linguam tuam blasphemam moriendo commanduces in æternum. *Apoc.16.*

PRÆCONIA TOTIVS DOCTRINÆ AVGVSTINIANÆ:

Contra nouam calumniam hæreticam Samuelis Des-Marets, *quòd illa sit à PAPA condemnata; & contra omnes fautores eiusdem calumniæ.*

1. TAnta tamq; vera est eius fama per totam Ecclesiam: vt meruerit assumi & annecti in subselliū, & scabellum S. Sedis Apostolicæ; nec sine aliqua huius cōmotione seu offensione possit auelli.
2. Tam est irrefragabilis, vt non subsit vlli censuræ humanæ, quia est summà inter humanas: nec vlla eius pars fuerit vnquam ab Ecclesia censurata; sed ipsis censuris Pontificijs illustrata, & ab omni errore discreta.
3. Quicumq; ei imputant hæreses materiales, vel errores ab Ecclesia censuratos, aut censurabiles: grauissimè peccant, in perniciem Ecclesiæ, & hæreticorum fauorem; merenturq; ab omnibus corrigi, & explodi, vt negantes principium subalternum sacræ Scripturæ, & Ecclesiæ.
4. Sed optimè de S. Ecclesia & Sede Apostolicā merentur: qui totam Doctrinam Augustinianam ab omni calumnia hæresis etiam materialis vendicant, & ab omni errore studiosè discernunt.

Exponuntur publicè sustinenda Leodij in Conuentu FF. Minorum Recollectorum die 26. Anni 1655. à 9. matutina ad 11. & à 2. pomeridiana ad 4.

Præfatio in Apologiam reprobam Samuelis Maresij.

QVamuis tota illa contentio inter Theologos Catholicos, de Gratia & Libero Arbitrio, hac postrema Constitutione S.D.N. tandem pacata sit: tanto Ecclesiæ, ipsiusq; Doctrinæ Augustinianæ fructu; vt & hæretici hinc experiri potuerint quàm sit necessarius in Ecclesia primatus ad componendas controuersias;& multi Theologi Catholici priùs Doctrinæ August.minùs periti ac studiosi, ad verum eius sensum studiosissimè profecerint. Nullus tamen finis contendendi cum hæreticis: qui oculo nequam optima quæq; intuentes, hanc ipsam Constit.varijs calumnijs persequuntur.

Contra quos nuper noster R.P.F.*Franciscus à S.Augustino*, cognomine *Macedo*, natione *Lusitanus*, Londini in Anglia summis præconijs liberè celebrauit sensum expressum huius Constitut. & æquissimas eius censuras in errores, sed clementiam columbinã S.D.N INNOC.X. in personas, & memoriam Defunctorum: grauiter etiã redarguẽs omnes secretos detractores huius Cõstit.Apostolicæ,&Doctrinæ August.

Hinc nescio quo studio quidam nouus defensor *Origenis* conetur eum excusare ab omni hæresi, de qua semper infamis fuit: nimis indignã eius comparatione, quo ad hæreses materiales, cum ipso *B.Aug.* citato etiam infideliter in testẽ hæresum *B.Aug.* ipso *S.Hier.* Epist. 92. ad eundem. Vbi fatetur quidem se in quadã Epist. *i. 9. B.Aug. quadã hæretica iudicasse*: sed ibidem paulo post seipsum sic corrigit, *Non quod in operibus tuis quadã iam reprehẽdenda censeam.*

Nec possum satis mirari, quo fine, & fructu, quidã Author recentis Apologiæ pro hac Constit.Apostolica, cõtra eius obtrectatores, priori eius parte optimè functus ex sacra Script. ipsoq; *Aug.* contra eosdem 5. errores cõdemnatos: sub finem, quasi ad obstruendum quibusdam refugium ab hac Constit. ad authoritatẽ Doctrinæ August. conetur hanc nimium deprimere; imputando ei multos errores, sed 4. grauiores. Cùm nullus Catholicus opponat aut preponat, sed componat & supponat authoritatem Doctrinæ Augustinianæ in scabellũ Sedis Apostolicæ: illaq; huic præ omnibus Patribus contra omnes hæreticos necessaria sit. Nec illi aut vlli alij errores doctrinæ, sint ipsius *B.Aug.* sed nostri. *p.149.*

Nã 1. *Angelos esse corporeos*: imputatur ei ex graui ignorãtia *Retract. B.Aug.* L.1.c.26. *Quod dixi spiritualiter summos Angelos viuere, infimos verò animaliter: audacius dictũ est de infimis.*

2. *Nefas esse Christianis occidere infideles mortem intentantes*: ex graui negligentia colligendi sensum probabilem *S.Aug. ex lib.1. de Lib.Arb. c.5. l. de Mendacio c. 19. & 20. Epist. 154.* Quòd sit illicita occisio inuasoris vitæ propriæ, vel pudicitiæ, ex sola libidine seu prauo affectu huius vitæ & pudicitiæ corporalis, præ salute spirituali nostra & proximi: nõ autẽ quòd sit illicita ex verò affectu Iustitiæ, & ordine Charitatis.

3. *Infantes etiam baptizatos, nisi Eucharistiam percipiant saluos esse non posse*: ex nimia imperitia, quòd *B.Aug.* more suo extendat hîc sensum proprium Sacræ Communionis Corporis Christi, ad incorporationem corpori mystico .i. Ecclesiæ, per Baptismum. Vt obseruat ipse *Corn. à Lapide in 6. Joan.* in oppositum falsò citatus.

4. *Alteram terræ partem huic nostræ oppositam, nullis Antipodibus habitatam esse.* Non est error doctrinæ, sed prudentissima *B. Aug.* coniectura: ex quibusdam indicijs S. Script. & experientia negatiua eo vsq;.

A quibus suorum censorũ erroribus ipse *Aug.* seipsũ excusat, Lib.1. de Trin. c.3. *Arbitror sanè tardiores in quibusdam locis librorũ meorum opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi: quorum errorẽ mihi tribui non debere quis nesciat? Quandoquidem nec ipsis sanctis diuinorum Librorum Authoribus, vllo modo quisquam rectè tribuerit tam multos & varios errores hæreticorum.* Et c. vlt. de Dono Perseuer. totiusq; Doctrinæ suæ. *Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent &c. Qui verò me errare existimant, etiam atq; etiã quę sunt dicta cõsiderent, ne fortassis ipsi errẽt.* Cùm enim anno suo 22. esset tanti ingenij, vt de seipso fateatur, *4. Conf. 6. Erat ille excellentissimus qui me exponentem non tardiùs sequeretur*: quis eum corrigere præsumat?

Hinc *Præfatione Apol. in Tom.2. nostræ Anat.* meritò comparaui eius doctrinam Arcę fœderis, seu cõfœderationis omnium Theologorum: de qua nobis quasi erepta Philistini seu hæretici gloriantes, ab ea in secretis seu pudendis cõscientiæ torquentur, seu conuincuntur; ideoq; eam nobis cum honore cedere coguntur. Quamq; de eis victricem ac triumphantem omnes veri Theologi suspiciunt: soli *Betsamitæ* eam nimis leuiter à longè intuentes, & *Oza* manum ei præsumptuosam quasi ad aliquã correctionem admouẽs, in publico triumpho vltionem diuinam experiuntur.

Sed

QVàm hæc quoq; prouidè concepta & condemnata est! Ex sensu communi Ecclesiæ ac fidelium, pro nostra libertate à coactione & necessitate (i. simpliciter, absolutè, & determinatè,) ad merendum vel demerendum. Vt vt sit speculatiuè, de libertate Dei, Christi, Beatorum, & Damnatorum: vel ad benè malèue agendum, sine alio præmio vel pœna, quàm intrinsecis ipsi actui. De qua nostra libertate ordinaria viatorum, saltem Iustorum, nulla superest difficultas, ex reprobatione *I. Prop.* Sed quia hæc 4. non restringitur ad solos Iustos, sed potiùs extenditur ad omnes, saltem fideles: de his quoq; facilè verificatur, ex præconijs & priuilegijs fidei Christianæ. Quæ cùm sit vt radix insita & irrigata Sacramento Baptismi: nunquam arescit, nec emoritur ab omni vita, & rore necessariæ gratiæ actualis. Sed cùm ex *B. Aug. Serm. 16. de verbis Apost. c. 4.* sit ALIQVID IVSTITIÆ, eiusdemq; ordinis cum spe, & charitate: coexigit necessarias gratias actuales; non solum ad sui conseruationem; sed etiam ad quandã vegetationem, & animationem à Spe & Charitate. Si enim Deus conseruat omnia in suo statu naturali essendi & agendi, suppletq; in multis defectum agentium naturalium: cur non in statu gratuito, & ad eius perfectionem? Ex qua pia fide, *S. Athanasius libro 97. Ad 4.* Respondet, verè baptizatos, habere & aliquando experiri motus gratiæ baptismalis: vt mater motus prolis in vtero. An autẽ infideles qui nullã habent radicem, nec certam promissionem gratiæ actualis, aliquando peccent ex necessitate, *Prop. 4.*

Hinc ad *Diff.* De quadam ignorantia & necessitate peccandi: vel non est nisi infidelium, ex culpa orig. non remissa: vel excæcatorum & obduratorum, ex graui demerito proprio. Si quæ est autem fidelium & iustorum: vel est indeterminata, ad peccandum aliquando saltem venialiter, inter infinita pericula: in sensu *S. Hier.* supra *col 6.* & *S. Aug. de Nat. & Grat. cap. 12 & L. 2. in Iul 8. ex S. Cypr.* de Mortalitate. *Obsessa mens hominis & vndiq; diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. In Ps. 32. Aduersus maiora vigilantibus, quædam incautis minuta subrepunt.* Vel deniq; non est ignorantia & necessitas totalis, & absoluta: sed moralis, seu grauis difficultas, vltra solitũ conatũ. Ex *B. Aug. L. 2. contra Fœlicem cap. 8. Contra Fortunatum disp. 2. l. 8. Conf. c. 5. de Nat. & Grat. c. 69.* vbi hæc necessitas vocatur solùm difficultas, qualis solet contrahi ex consuetudine. Pro qua tamen etiam superãda orandũ est: quia vix est qui conetur quantum potest per voluntatem, & gratiam præsentem, nisi Deus eam augeat. Sicq; ipse *Ians.* exponit sensum propriũ *Aug.* de necessitate supra: quamuis alibi aliter. Neq; hoc est contra certum signum nostræ impotentiæ, ex necessitate orandi: nec pro sola difficultate Pelagiana ex nobis, facilitate autem per gratiam; sed pro aliquo posse per gratiam, faciliùs autem per maiorẽ.

Ad *Diff.* De quibusdam peccatis ignorantiæ: ex *B. Aug. Lib. 1. Retr. 15.* Qui nesciens peccauit, nolens peccasse dici potest. Quamuis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit &c. Quod enim si noluisset non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccauit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatũ sine voluntate esse potuit: sed voluntate FACTI, non PECCATI. Quod tamen peccatum fuit: hoc enim factum est quod fieri non debuit. *Quæst. 24. in cap. 15. Num.* De peccatis quæ non sponte committuntur. An quæ à nescientibus, an etiam quæ nolens facere compellitur. Sed vtiq; vult propter quod facit &c. Nã fortè ipsum peccare nemo velit: sed propter aliud fit, quod vult qui peccat. Hæc si ita se habent: non sunt peccata nolentium, nisi nescientium. *Resp.* Hæc quoq; vel non esse nisi infidelium, vel proprio peccato excoecatorum, vel non esse ex ignorãtia, sed solùm comitante; quia si scirẽt equidem facerent: vel esse ex ignorantia culpabili & vincibili; vel non ex ignorantia totali, sed saltem ex aliquo dubio iuris, aut facti. Quæ ignorantia, siue facti, siue iuris, etiam naturalis, si sit ex solo peccato remisso, excusat ab omni culpa: quia per baptismum non remittitur sola concupiscentia; sed & ignorantia, & impotentia originalis. Non vt non sit: sed vt non imputetur ad culpam, vel eius causam, sine vllo proprio consensu in illam. Si autem sit ex aliqua culpa nostra irremissa: non excusat. Quia tũc non potest esse ignorantia purè negatiua, sed priuatiua. Vnde *B. Aug. de gratia & libero arb. cap. 2. & Tract. 82. in Ioan.* Non excusat ex toto à culpa ignorantes Christum antequam audissent: quos malitia irremissa excœcabat. *Lib. 22. contra Faust. c. 44.* Non excusat *Loth*, à tota culpa ebrietatis & incest⁹, ex ipsa ignorãtia facti. *L. de 2. Anim. c. 10.* Nõ excusat sciẽter inebriatum, sopitum, & vinctũ, à culpa per aliũ.

Ad Diff. De libertate illa voluntatis, non obstante quauis necessitate: frustra se torquent, qui conantur ab ea detorquere *S. Aug. l. 1. de lib. arb. cap. 12. lib. 3. cap. 3. Quæst. 8. ex 83. lib. 5. Ciu. 10. lib. 1. Retr. 23.* & alibi sæpè & expresse, *S. Bern.* supra, & omnes antiquos Theologos: cùm hæc libertas sit essentialis voluntati, seu modus proprius volendi, oppositus modo agendi naturali: quem *S. Ansel. de lib. arb. cap. 5.* sic optimè explicat. *Omnis volens ipsum suum velle vult. &c. Vt cum mentitur, vult ipsum mentiri: sic cum vult mentiri, vult ipsum suum velle.* De qua libertate essentiali & immutabili, cum hæreticis non contenditur: sed de sola ordinaria viatorum, quæ peccatis corrumpi vel minui, & gratia reparari possit.

Nec tamen *S. Aug. & S. Bern.* frustra eam inducunt ad imputationem peccati: sed ad magnam inde humiliationem. Quia prima radix imputandi voluntati quæ agit, est quia non agit nisi volens, & volendo velle, seu non solum obiectum, sed etiam ipsum proprium actum quo vult. Hinc videtur ipsi à Deo posse imputari: nisi hoc ei remiserit. Ex *B. Aug. toto libro de nupt. & concup.* per remissionẽ illam motuum concup. in baptizatis; non vt non sint, sed vt illis non imputentur. Vnde supponit imputari necdum baptizatis: si non ad peccata actualia, saltem ad vnum idemq; originale. Imo *l. 4. in Iul. c. 16.* Cùm sopitos deludunt somnia sensus; nescio quomodo etiam castæ animæ in turpes labuntur assensus. Quæ si imputaret Altissimus, quis viueret castus? Quãto potiùs possunt imputari Beatis, damnatis, obduratis, omnia bona, vel mala: vt in se, vel in sua causa, Deo interprete, præuisa & præuolita? Reliqua, nominalia, moralia, scholastica, non sunt ad hanc causam fidei necessaria.

V. PRO-

Aliqua Dei praecepta hominibus iustis, volentibus, & conantibus, secundùm praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoq; illis gratia quâ possibilia fiant.

Pro qua SAMVEL *pag. 32. Hanc esse IANSENII patet ex lib. 3. de Gratia Christi cap. 13.* Deinde *à p. 31. ad 35. à 48. ad 52. à 63. ad 56.* multa hinc inde promiscuè & confusè cumulat, ex Sacris Script. Concilijs, Patribus, Theologis nostris, ac varijs rationibus: quae nos hîc per plura distinctè & ordinatè supplemus.

Ex Sacris Scripturis.

1. EX ipsis praeceptis Decalogi. *Exod. 20. Deut. 6.* praecipuè Diligendi Deum ex toto, & non concupiscendi, eorumq; seuerissima à Christo interpretatione, *Mat. 5. 6. 7.* nobisq; impossibili obseruantia legis. *Mat. 19. Act. 15. Rom. 8.*

2. Ex absoluta necessitate gratiae ad obseruanda Dei mandata, & cauenda peccata. Vt *Sap. 8. Ioan. 15. Rom. 7. 2. Cor. 3.* & alibi saepè.

3. Ex gratuita gratiâ, & libertate Dei, dandi hanc gratiam necessariam quibus & quando vult. *Ioan. 3. Spiritus* vbi vult spirat. *Rom. 9.* Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. 1. *Cor. 12.* Diuidit singulis prout vult.

4. Ex peccatis quotidianis etiam Iustorū. *1. Reg. 8. Prou. 20. 24. Eccles. 7. Mat. 6. 1. Ioan. 1. Iac. 1.*

5. Ex nostra ignorantia & necessitate peccandi, ac impotentia viuendi sine peccato coram Deo. *Psalm. 18. 24. 30. 142. Matt. 6. 7. 19. Rom. 7. 1. Ioan. 1.*

Concordia harum cum illis.

QVae cum illis collatae vix vllam speciem oppositionis prae se ferunt: sed in hunc vnum eundemq; sensum facilè coalescunt. Quòd singula mandata Dei sint nobis valdè difficilia, & quaedam saltem impossibilia per solam legem & naturam corruptam, sed possibilia per gratiam actualem: non quidem omnibus aequaliter communē, nec singulis semper actualiter praesentem; nemini tamen nisi ex culpa propria vel originali irremissa in necessitate deficientem, sed iustis ad perseuerandū in statu gratiae & ad singulas obligationes semper proximè vel remotè sufficientem; non autem omnibus & singulis semper aequalem, vixq; vllis semper efficacem ad facilem ac perfectam omnium simul obseruantiam sine vlla culpa saltem veniali. Vt ex titulis sequentibus patebit.

Nec vlla Sacra Script à *Samuele* cumulata exigit alium sensum: nisi forte *Psal. 142.* Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens .i. inquit ex *S. Hier.* non solùm comparatiuè ad Deum; sed etiam verè in Dei notitia: & *1. Ioan. 1.* Si dixerimus quia peccatum non habemus, &c. quasi nullus vnquam sit verè & intrinsecè iustus. Sed vt *S. Aug.* de hoc fatetur *lib. de perfect. iust. c. 21.* ita & illud posset intelligi de nullius vnquam iustificatione in hac vita ab omni vitio, vixq; vnquam ab omni actuali culpa veniali, cùm septies in die cadat iustus, *Prou. 24.* Sic & de peccato seu vitio concupiscentiae, eiusq; vitiosis motibus, *Rom. 7.* quos certum est nunquam esse peccata actualia, saltem in baptizatis, ante eorum proprium consensum.

HAnc, Temerariā, Impiam, Blasphemā, Anathemate damnatā, & Haereticam declaramus, & vti talem damnamus, S. D N. INNOC. *in hac sua Constit.*

Est verbatim ipsius IANSENII ibi: non quidem in ipso sensu SAMVELIS supra, quòd nulla vnquam detur gratia non praedestinatis; sed quòd alij quantumuis Iusti, tandem sine vllo proprio demerito priuentur gratia necessaria ad perseuerandū: Nec excusari potest ab huius saltem vocis Anathemate, *Trid. sess. 6. cap. 11.* sub vllo sensu praetenso.

Ex Sacris Scripturis.

1. AB expressa potestate & facilitate obseruandi mandata Dei, negatâq; impotentia. *Deut. 30. Mandatum hoc .i. Decalogus, non supra te est.* Psalm. 95. *Contra fingentes laborem in praecepto. 140. Contra excusationes in peccatis. 118. Latum mandatum tuum nimis.* Eccli. 15. *Ne dixeris per Deum abest &c.* Mat. 11. *Iugum meum suaue est.* 1. Ioan. 3. *Mandata eius grauia non sunt.*

2. Ex Lege Gratiae & libertate iustorum per Baptismum & gratiam: non solum à peccatis praeteritis, sed ab omni iugo legis impossibilis, & necessitate determinata peccandi. *Ioan. 8. Rom. 6. 7. 8. Gal. 3. 4.*

3. Ex ipso statu permanente, immortali, & aeterno, gratiae iustificantis. *Sap. 1. Iustitia perpetua est & immortalis,* Rom. 6. *Gratia Dei, vitâ aeternâ. 11. Sine poenitentia sunt dona Dei.* 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo non peccat: quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare* .i. ex illo semine. Sed, vt ait *cap. 5. Generatio Dei conseruat eum.*

4. Ex peiori statu peccatoris post relapsum, quàm ante, & tandem aliquorum excoecatione & obduratione, *Rom. 1. 9. 1. Thess. 5. Hebr. 7. 2. Pet. 2.* Ergò non sinit iustos relabi defectu gratiae necessariae.

5. Ex perfectissima remissione peccatorum omnium per Baptismum, quoad omnem culpam, & poenam saluti contrariam. *Rom. 6. 8. & alibi.* Ergo baptizatus nunquam priuatur gratia necessaria ad suum statum, ex solo demerito peccati originalis remissi, absq; vllo proprio actuali.

6. Ex promissa gratia ad salutem necessaria omnibus dignis, aut non indignis. *Marci 9. 16. 1. Cor. 10. 12.* Atqui iusti ex statu gratiae sunt digni gratia actuali sibi necessaria, imò & gloria: ergò nunquā illa priuantur nisi ex propria culpa non remissa.

7. Ex promissa non sola gratia praesenti, sed etiam salute & vita aeterna, omnibus baptizatis, & dignè recipientibus Sacramenta. *Marc. 16. Ioan. 6.* Ergo saltem per gratias ad hunc finem necessarias.

8. Ex promissa & iurata exauditione precum, Spiritu Dei in iustis orante, & clamante pro eis, ABBA PATER. *Luc. 11. Ioan. 16. Rom. 8. Gal. 4.* Ergo nunquam deest illis gratia necessaria.

9. Ex inclinatione gratiae habitualis seu charitatis ad obseruanda mandata Dei & cauenda peccata. *Ioan. 15. 1. Ioan. 3.* Ergo non sine gratia actuali.

10. Ex dilectione seu beneuolentia Dei erga iustos: non solum ad statum gratiae praesentis, sed etiam futurae, imo & gloriae. *Sap. 8. Ego diligentes me diligo. Ioan. 15. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, &c.* Ergo saltem ad gratias actuales necessarias.

Ex Sacris Concilijs.

SAMVEL pag. 51. *Si Iansenitæ audiant protestãtes, non facilè larua Conciliabuli Tridentini se terreri patientur &c. Sed & possunt dicere hoc anathemate Trid.* sess. 6. can. 18. *se non peti. 1. Quia non habet, OMNIA: eiusq; propositio non est vniuersalis. 2. Non debet intelligi de possibilitate absoluta & simplici; sed tantum limitata & secundum quid. &c. Patet ex sess. 2. vbi hortatur fideles*, vt studeãt præcepta Dominica *QVANTVM QVISQVE, POTERIT* adimplere &c. *Idipsum explicat* sess. 6. cap. 11. *Deus iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod NON POSSIS. Et agnoscit iustos in quotidiana peccata incidere.* Can. 23. *Anathemate percellit eum qui dixerit*, hominem semel iustificatum posse tota vita sua omnia peccata etiam venialia vitare. *Pag.* 61. & 77. *INNOC. vult* omnia Dei precepta iustis esse possibilia &c. *Ergo non fuit priuilegium speciale & singulare B. Virginis.*

Pag. 81 *Con. Arau.* 2. *can.* 10. Adiutoriũ Dei etiam renatis ac Sanctis semper est implorandum: vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare. Contra *INNOC.* supra.

Mileu. can. 6. Definit ex *1. Ioan. 1.* Quod nemo possit esse sine peccato. *Can. 7.* Quod quiuis iustus debeat orare, dimitte nobis debita nostra; non solum pro alijs, sed etiam pro seipso. *Can. 8.* Quod & hoc à Sãctis huius vitæ veraciter oretur.

Concordia horum Conciliorum.

CVm posse simpliciter, supponat media necessaria & ordinaria: quando Sacra Conc. tribuunt Iustis posse perseuerare: supponunt pro certo omnem gratiam ad hoc necessariam & ordinariam, siue orandi, siue conandi. Ad quam exorandam & impetrandam plurimùm valet ipsa gratia iustificans, præcipuè baptismalis. Vnde patet concordia inter *Arausi. 2. Can. 10.* exigens preces cõtinuas sanctorum ad gratiã perseuerãdi: & idem *Can. 25.* ac *Mileu. can. 3.* tribuens eis posse, & gratiã cauendi peccata ac operandi salutem. Sed quo plus *Samuel* circa *Trid.* vult quasi scholasticè sapere: eo magis desipit, defectu iudicij, vel bonæ fidei. Quid enim opus fuit *sess. 6. cap 11.* & *can. 18.* exprimere, *omnia præcepta:* cũ hoc in tali materia pro expresso habeatur; sufficiatq; quod expressissimum est, non aliqua mandata, seu nulla esse iustis impossibilia. Conatur probare non esse possibilia absolutè & simpliciter, ex *sess. 2.* vbi monet fideles, vt studeant præcepta Dominica *QVANTVM QVISQ; POTERIT* adimplere: quasi supponeret non posse, cùm potius supponat posse, quoad obligationem, non tamen sine conatu, nec æqualiter, nec fortè quo ad omnẽ perfectionẽ. *Sess. 6. c. 11.* Deus iubendo monet & facere quod possis & petere *QVOD NON POSSIS*: quasi quædam non possimus; supprimendo infideliter quod expressè sequitur, *ET ADIVVAT VT POSSIS. Can. 23.* Vbi definit, nec Iustos posse tota vitã suã omnia peccata etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, vt de B. *VIRGINE* tenet Ecclesia: quasi hoc sit non posse vnquam simpliciter singula, nec quoad singulas obligationes; vel quasi posse quid absolutè & simpliciter, sit omnipotenter. Reliqua *Conc. Mileu.* sunt tantum de peccatis quotidianis Iustorum in hac vita.

Ex Sacris Concilijs.

MIleu. can. 3. Quicumq; dixerit gratiam Dei qua iustificamur per Iesum Christum, ad solam remissionem peccatorum valere, non etiam ad adiutorium vt non comittantur, anathema sit.

Arausi. 2. Can. 25. Credimus quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo cooperante & auxiliante, quæ ad salutẽ pertinẽt possint & debeãt (si fideliter laborare voluerint) adimplere. *CHRISTO COOPERANTE* .i. absolutè & ordinariè, non autem solum conditionatè. Alioquin omnes idem æquè possent, si Christus eis æquè auxiliaretur. Ex *IESV* nostro inter Doctores *pag. 33.*

Trid. sess. 5. can. 5. Concupiscentia in baptizatis ad agonem relicta, nocere non consentientibus, sed vtiliter per Christi gratiam repugnãtibus, non valet. [Subdit, Hanc in renatis non esse verè & propriè peccatum: sed sic appellari, quia est ex peccato, & ad peccatum.

Idem Conc. *sess. 6. cap. 11.* Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathematè prohibita voce vti debet: Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet: seu iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adiuuat vt possis. Cuius mandata grauia non sunt: cuius iugum suaue est & onus leue, &c. Deus namq; sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. *Cap. 13.* Nisi iusti gratię Dei defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet. *Can. 18.* Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiã iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.] Vbi *SVB GRATIA* .i. adhuc sub statu gratiæ, vel sub certa gratia actuali ad statum illum necessaria: non autem actualiter subdito, seu obedienti. Quia nemo potest insanire, talem actu obedientem non posse obseruare mandata.

Idem *Can. 22.* Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.] Vbi distinguit speciale auxilium iustorum ad perseuerandum necessarium, non solùm à communi concursu Dei, sed ab auxilio omnibus ad salutem necessario, non tamen æquè ac iustis promisso & ordinario. *Can. 25.* Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intollerabilius est mortaliter, anathema sit. 23. Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, &c. aut posse in tota vita peccata omnia etiã venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, vt de B. V. tenet Ecclesia, Anathema sit.

Ex S. Hieronymo.

SAMVEL *Pag.77. Quia* S Aug. *in hac causa Ianseniana reus est, & damnatus: vno nitar* Hieronymo, *Epist. ad Ctesiph.* Nam 1. *dicit* Pelagianos *docuisse Apatheian, & Impeccantiam, qua superbia maior esse non potest.* 2 *Asserere hominem posse esse sine peccato, si velit: & post frustra adiungere, non sine peccato. Quis enim Christianorum non vult esse sine peccato, si sufficit ei velle?* 3. P. 78. *Eos solere dicere: aut possibilia esse mandata, & rectè à Deo data; aut impossibilia, & non in his esse culpam qui accepere, sed in eo qui dedit.* 4. P.79. *Pugnat contra Pelag. ab experientia; tum positiuè, omnium SS. tum negatiuè, quòd nullus dari possit sine peccato. Congerit item varia loca Script.* Vt *Psal. 142.* Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens .i. *in Dei notitia. Vrget q́;* Luc. 17. *Cùm omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Inculcat, Tu ipse si vis carere peccato, quare non imples?* Pag. 8. *Ad plerasq́; obiect. eorum, respondet vt solemus Iesuitæ*, ex Rom. 7. Gal. 5. *Ad Eustasim de Sanctis & Iustis in Script. Respondet, Non quod omni vitio careant, sed quod maiori parte virtutum commendentur. Cauillo, quod possibilia mandata dedit Deus: opponit impossibile legis*, Rom. 3 8 *Nec de sola Moysi putes &c.* ex Rom. 7. *Adeoq́; impossibilitatem legis accersit ex corruptione naturæ.* Pag 82. *Iusti dicuntur; partim Euangelicè, ex remissione peccatorum per Christum; partim secundùm Epikeiam Misericordiæ Diuinæ; partim inchoatè, à studio & conatu perfectionis; partim comparatiuè ad improbos, &c. Pag.84 Si obycias ipsum Hier fateri Deum possibilia præcepisse. Ita facit. possibilia in communi & distributiuè: vt statuat non esse omnia simul & collectiuè possibilia singulis iustis.* Quib⁹ more suo vt vulpes fugitiua inter canes Ecclesiæ, collatrare cogitur: vt declinet sequentia *S. Hier.* Sed quia potiora pro & cōtra se præterit: nos omnia ita contexamus, vt sola collatione inter se coalescant.

Concordia S. Hier. secum ipso.

NIhil quidem præclarius, quàm pleraq́; *S. Hier.* supra, pro nostra libertate, & gratia Dei necessaria: nunquam iustis saltem deficiente, ad cauēda singula peccata, & ad obsequendum mandata instantia; non tamen semper & simul omnia, viuendo diu absq́; vllo vitio & peccato: cùm nec omnia simul instent; nec vllum obliget ad omnia simul & semper, sed singula hìc & nunc in particulari; nec vllus semper adhibeat, vel moraliter adhibere possit omnes vires suas possibiles cum gratia; vt optimè exemplificat & comparat *S. Hier.* supra.

Sed 1. Cur negat posse, nisi per se, sine gratia? Quia posse semper esse sine vllo peccato, non est nisi ab intrinseco. 2. Cur hoc esset æquale Deo? Quia vel ex solo libero Arb. independenter à Deo, vel indefectibiliter ex gratia, vt Christus? 3. Cur neget Baptismum præteritum seruare iustiam? In sensu *Iouiniani* & *Pelagy*, sine vllo vnquam peccato? 4. Cur tribuat Baptismo actuali præseruationem ab omni culpa? Quia non potest simul remitti & committi. 5 Cur neget Baptizatum morientem, esse sine peccato? Non negat esse, sed ex suo posse. 6. Cur Baptizati statim orabant, *Dimitte nobis*? Quia septies in die cadit iustus, *Prou. 24.*

Ex S. Hieronymo.

EPist. ad Ctesiph. Cōtra præsumptionē stoïcam, pharisaïcā, & hæreticam Pelagianorū, æquādi se Deo seu Christo *Cap 1.* Nunquid præcepit mihi Deus & essem quod Deus est? qui peccatum non fecit, *1 Pet. 2.* Si hoc & mihi cum Christo commune est, quid ille habuit proprium? *Cap. 4.* Asseris, *posse hominem esse* sine peccato, si velit: & frustra conaris adiungere, *non absq́; Dei gratia.* Si potest, quid necessaria est gratia? Si non potest, quid necesse fuit dicere posse, quod non potest? Frustra blasphemas nos liberum Arb. condemnare: damnetur ille qui damnat; sed Dei nititur auxilio.

Lib. 1. Dial inter *Atticum* seu *S. Hier.* & *Critobulum* seu Pelagianum *Cap. 2. ATT.* Si cum Dei adiutorio potest homo non peccare, si velit: an in perpetuum, vel ad tempus, & breue? *CRIT. Qui potest vno die, potest & altero, & quandiu voluerit &c. ATT.* Sine peccato esse perpetuò, diuinæ solius est potestatis &c. *Cap. 8. CRIT. Si Deus dedit mandata possibilia, possumus ea facere, si velimus.* ATT. Quis nostrum potest omnes artes comprehendere? Vides ergo quod possibile est per naturam, nullum posse complere. Dedit itaq; præcepta diuersa, virtutesq́; varias, quas omnes simul habere non possumus &c. non imbecillitate naturę, sed animi lassitudine &c Sed dices: *Si non possum: ergo peccatum non habeo* Habes peccatum, quare non feceris, quod alius potuit facere: rursumq́; ille, vel tui, vel alterius erit collatione peccator.

Lib 3. cap. 1. CRIT. Qui Christi baptisma consecuti sunt, cùm semel iusti fuerint, possunt semper iustitiam custodire, ac per hoc omne vitare peccatum. ATT. Non erubescis damnatam *Iouiniani* sententiam sequi? Scito baptismum præterita donare peccata, non futuram seruare iustitiam &c Vt nostrum sit rogare, Dei tribuere &c. Si fieri posset vt semper aqua baptismatis mersos teneret: volitantia nos desuper peccata non tangerent, Spiritus S tueretur &c. Fac aliquem baptizatum statim morte substractum: num ideo sine peccato erit, quia videtur non superasse, sed fugisse peccatum; ac non potiùs quia Dei misericordia liberatus &c.? *CRIT. Ne hoc quidem mihi das, vt egressus aquas baptismatis sine peccato sit? ATT.* Tolle posse esse sine peccato, & ego esse concedam. Quomodo enim potest, qui per se non potest? Aut quæ est illa impeccantia, quæ si vitam protraxerit, delicti & ignorantiæ periculo subiacet &c.? Et nos dicimus posse hominem non peccare, si velit: pro tēpore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus &c. Quod si paululùm se remiserit: quomodo qui aduerso flumine lembum trahit retrò labitur, sic humana conditio &c. *Cap. 4.* Da mihi corpus quod nunquam langueerit, aut de perpetua sanitate securum sit: & dabo tibi animam quæ nunquam peccauerit. In nostra est potestate, vel peccare, vel non peccare, vt liberum seruetur Arb. Sed quia ad breuè possum: coges me vt possim iugiter? Possū ieiunare, vigilare &c. nunquid in perpetuum? *Cap 5* De baptismatis fonte surgentes, statim in prima communione Corporis Christi dicunt, *Dimitte nobis. &c.*

SAMVEL pag 33. *Loca varia Aug. possunt ex Iansenio repeti &c. Sufficiat &c.* Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 17. *Ideo quisq́, nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit nunc nescit, nunc delectatur nunc non delectatur: vt nouerit non suæ facultatis, sed diuini muneris esse, &c. Cap. 19. Idcirco etiã Sanctos suos in aliquibus vitiis tardius sanat &c. Pag 34.* Lib. de spir. & lit. cap. vlt. *Ad illam vitam immortalem pertinet: Diliges Deum tuum ex toto &c. Non concupisces: ad istam, post concupiscentias tuas non eas.* Lib de perfect. Iust. cap 8. *Cur non præciperetur homini ista perfectio charitatis: quamuis eam nemo in hac vita habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur.*

Epist. 200. *Lex posuit, Non concupisces: non quod hîc valeamus; sed ad quod proficiendo tendamus.*

Lib. 1. de Nupt. & Conc. cap. 29. *Lex dicit, Non concupisces: vt nos medicinã gratiæ quæreremus &c*

Pag 35. *Quod negatur Becanus Manu lib. 1. c. 17. q 1. & 2. Aug. docere de duobus istis præceptis, quòd non possint obseruari in hac vitâ quoad verba, sed quoad sensum & obligationem: indignum est refutatione. p 77. Posse id mille testimonijs ex* Aug *cõprobare: sed quia Sedi Romanæ exosus est, & in hac causâ Iansenianâ reus, & damnatus: vno vtar Hieronymo, &c. p. 81. In promptu foret, ex gestis Pel. c. 6 & seqq.*

Quis verò pluribus parceret, & à *S. Augustino* ad *S Hier.* refugeret: nisi de illo diffideret. Cùm ipse *Hier.* in fine sui operis sic se ad *S. Aug.* referat.

Superſedendum huic labori cenſeo: ne dicatur mihi, *in Syluam ne ligna feras*. Aut enim eadem diceremus: aut ſi noua, à CLARISSIMO INGENIO .i. AVGVST. occupata ſunt meliora. *Quantum præ o...ium!*

Ne ergo *Samuel* tot blasphemiarum reus, videatur non satis auditus & defensus, nec tanto quasi complice glorietur: quamuis sibi illa sufficere protestatus sit; suppleamus tamen patrocinio, quod ei deest ex *Aug.* per 8. numeros.

1 Lib. de perfect. iust cap. 6. *Peccatum est, cum vel non est charitas quæ esse debet, vel minor quàm esse debet: siue hoc voluntate vitari possit, siue non possit; quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit; & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuuatur.*

2. Quæst. 50. in Deut 29. *Non dedit vobis Dominus cor scire &c. Nullo modo increpans hoc diceret: nisi ad eorum quoq́, culpam intelligi vellet; ne quisquam se ex hoc excusabilem putet. Simul enim ostendit, & sine adiutorio Dei eos intelligere & obedire non posse: & tamen si adiutorium Dei desit, non ideo esse excusabile hominis vitium; quoniam iudicia Dei quamuis occulta, tamen iusta sunt.*

3. Epist 105 *Inexcusabiles dicit Script. quoscumq́, scientes peccare conuincit: Dei tamen iudicium iustum nec illis parcit, qui non audierũt,* Rom. 2. *Nõ admittit hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectũ, &c. At per hoc inexcusabilis est omnis peccator: vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, siue qui nouit, siue etiam qui ignorat; quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati est, &c Nam si excusatio illa iusta esset: non inde iam gratia, sed iustitia liberaret.*

4. Lib. 3. de libero arb. cap. 18. *Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi homo vult rectè facere, & non potest.* 1. Retr. 15. *Qui bona voluntate resistere non potest &c.* 8. Conf. 5. *Suspirabam ligatus, non ferro, sed mea ferrea voluntate &c. c. 8. 9 10. 11.*

5. Lib. de gratia & libero arb. cap. 15. *Ad hoc valet* Eccli. 15. *Si volueris, seruabis mandata: vt homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret vt habeat tantam voluntatem quanta sufficit.* Cap. 16. *Ideo iubet Deus aliqua quæ non possumus: vt nouerimus quid ab illo petere debeamus &c. Certum est nos seruare mandata, si volumus: sed ab illo petendum est, vt tantum velimus, quantum sufficit vt volẽdo faciamus &c.* cap. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest. iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruam & inualidam. &c. Quamuis parua & imperfecta bona voluntas, seu charitas, non deerat Petro,* Ioan 13 *Putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Lib. de S. Virg. c. 47 *Nescit virum illa cõiugata iam pati pro Christo possit: adhuc verò ipsa non possit. Latent ista in viribus animorum &c.* In Psalm. 52. *Aliquando homo præsumit se posse ferre quod non potest, & desperat se posse quod potest.* In Psalm. 103. *Potestis bibere calicem? Illi in hoc superbi,* Possumus. Tract. 96. in Ioan. *Mori pro Christo nondum erant idonei.* Ps. 106 *Inclusum se sentit difficultate vitiorum, tanquam muro impossibilitatis erecto.* Tract. 34. *Conaris, & non potes.* Serm 3 de verbis Apost. c. 8. *Non sufficit vt velis: adiuuandus es vt plenè velis.* Serm. 97. de diuersis. *Volumus Domine, & non possumus.* Tract. de ouibus c. 1. *A peccatis quantum possumus, abstinendo: quantum autem non possumus, confitendo & plangendo &c.*

6. De gestis Pelagij cap. 6. *Obiectum est ei quod scripserit posse hominem, si velit, esse sine peccato. Ad hoc ait: Non quod quis nunquam peccauerit; sed proprio labore & gratia Dei possit esse sine peccato.* Hæresi 88 Pelagianorum. *Dicunt vitam iustorum in in hoc sæculo nullũ omnino habere peccatũ.* Epist. 107. *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari.*

7. Lib. de gratia Christi c. 4. *Pelag. Deus qui possibilitatem dedit, ipsam gratiæ suæ semper adiuuat auxilio. c. 31. Pelag. Liberi arb. potestatem dicimus in omnibus esse: sed in solis Christianis iuuatur gratia.* Cap 37 *Pelag Vide quid Christiani facere possunt: quorum in melius instaurata natura est, & qui diuinæ quoq́, gratiæ iuuantur auxilio.* Lib de Natura & gratia cap. 12. *Cùm Pel. obijceret sibi, leuia quædam peccata ipsa multitudine quod sæpè irruant non posse cuncta vitari: negauit debere argui si vitari omnino non possunt &c.* cap. 17. *Dicit hominem præuligare debere ne ignoret &c.* Contra nostra quasi similia:

8. Ibid. *Admonemur à Deo petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter,* Iac. 1. *Vtiq́, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodò & quantum res petenda est.* 1. Retr. cap. 15. *Quando est pœna peccati, quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate: nisi fortè si pia est vt oret auxilium.* Et plurima similia, quæ videntur contra certitudinem gratiæ necessariæ ad obseruanda mandata, & ad eam ipsam à Deo petendam, ac impetrandam.

I. Expresse

1. Expressè, de nullo mandato nobis impossibili. Vt *Lib. 1. de gen. contra Manich. c. 3.* Omnes possunt se conuertere ad seruanda Dei præcepta, si velint. *1. Retr. 10.* Verum est, *Omnes homines hoc posse si velint:* sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, vt possint.] Ergo saltem voluntas sic præparata, & aucta per gratiam infusam, potest. *In Psalm. 56.* Non imperaret Deus vt faceremus: si impossibile esse iudicaret vt ab homine fieret &c. Adest ille qui præbuit exemplum, vt PRÆBEAT ET AVXILIVM.

Lib. 2. de pecc. mer. mer. & rem. cap. 3. Acutè sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc vllus ignoret: quod si nolumus non peccamus; nec præciperet Deus homini quod esset *humanæ impossibile voluntati.* Sed hoc non vident, quod magnis aliquando & *totis viribus* opus est volũtatis, quas nos nõ perfectè in omnibus *adhibituros Deus prævidet.*] Nõ vt q; defectu gratiæ necessariæ: sed maioris conatus possibilis. *Cap. 6.* Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis. Vtinam &c. *Psalm. 118.* A quo autem id optet satis ostendens, inquit: *Non dominetur mihi omnis iniquitas.* Ab huius seruitute liberantur, quibus D. Iesus dedit potestatem Filios Dei fieri, *Ioan. 1.* & quibus dicit *Ioan. 8. Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* His atq; alijs test. dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse: ac per hoc potest homo si velit esse sine peccato, adiutus à Deo.] Vbi saltem Filijs Dei per gratiam tribuit hanc certam protestatem.

Lib. de natura & gratia cap. 43. Non igitur Deus impossibilia iubet: sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.] Subdit meritò *Trid.* & adiuuat vt possis .i. & petere & facere. Quia agit Aug. de homine qui curatur adhuc in stabulo *Luc. 11.* & qui, *inquit,* Medicinâ poterit, quod vitio non potest. *Cap. 69.* Eo ipso quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe facilia fiunt charitati.] Ergo nulla sunt iustis impossibilia: sed solum facilia, vel difficilia, pro maiori vel minori charitate, de quâ differentia ibidem, *cap. 70.*

Lib. de gratia & libero arb. cap. 16. Pelagiani dicunt, *Non iuberet Deus quod sciret ab homine non posse fieri.* Quis hoc nesciat? Certum est enim nos mandata seruare, si volumus: sed præparatur voluntas à Domino, &c. *Serm. 191. de tempore,* siue ex symbolo *S. Hier.* ad *Damasum,* siue ex confessione simulatâ *Pelagij* ad *Innoc. 1.* ab ipso *B. Aug.* examinata, & quoad hoc saltem tacitè approbata *Lib. de gratia Christi cap. 31.* Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid à Deo esse præceptũ: & mãdata Dei non à singulis, sed ab omnibus in cõmune posse seruari.] Quæ quia *Pelagius* sæpè professus est, subintelligẽs, sine vera gratia: Sed *S. Aug.* approbat exprimens gratiam necessariam: D. *Bayus.* prop. 52. grauiter aberrauit, negando esse *Aug.* sed Pelagij. Cum dictum illud & posse simpliciter, supponat gratiam necessariam saltem iustis nunquã deesse.

2. Ex vero sensu possibili diligendi Deum ex toto. Vt *Lib. de spir. & litt. cap. 36.* Ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est: vt admoneremur quid fide exposcere, quò spem præmittere debeamus &c. Neq; enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæq; debetur: iam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem. *Lib de perf. iustitiæ. cap. 8.* Cur non præciperetur homini ista perfectio? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. *Enchir. 121.* Minuetur cupiditas, charitate crescẽte. *Lib. de natura & gratia cap. 70.* Charitas inchoata, inchoata iustitia est: charitas prouecta, prouecta iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est. &c. Quæ tunc maxima è in hac vita, quando pro illa, ipsa contemnitur vita. *Toto lib. 1. doct. Christ.* De fruendo seu diligendo solo Deo propter se, reliquis propter Deum. *Cap. 22.* Diliges D. Deum tuum ex toto &c. Nullam vitæ nostræ partem relinquit quæ vacare debeat vt alia re velit frui: sed quicquid aliud diligendum venerit, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit &c. quæ nullum à se riuulum duci extra patitur, cuius deriuatione minuatur. *Tract. 8. in 1. Ioan.* Christus vtitur virtutibus quasi ministris suis &c. Per has mouentur membra ad operandum. Sed quid? Quod iusserit charitas &c.]

Hinc 5. sensus possibiles sic diligendi. 1. Studendo huic perfectioni Christianæ: prout professi statum aliquẽ Religionis, non tenentur esse perfecti, sed studiosi perfectionis 2. Cauendo à peruersitate vtendi fruendis, & fruendi vtendis. 3. Diligendo potius effectu quam affectu: vel hoc potius efficaci & imperãte, quàm simplici & quantalibet potiùs passione quàm actu amoris. 4. Minuendo concupiscentiam saltem per dissensum, ad augendam charitatẽ. 5. Supplendo defectui, per dolorem seu displicentiam. Vt monet *B. Aug. lib. 1. ad Simpl.* Si dolemus nos non posse deuotè orare, iam oramus. Sic & de diligendo Deum & non concupiscendo.

3. *Ex vero sensu possibili non cõcupiscendi.* Vt *Lib. 1. ad Bonif. cap. 10.* Non quod volo hoc ago. *Rom. 7.* Non affectu consentiendi, sed motu concupiscendi &c. *Captiuantem me &c.* motione, non consensione. *Cap. 13.* Concup. vocatur peccatum: non quia peccatum est; sed siue quod peccato facta sit, siue quod peccandi delectatione moueatur. Sic & *lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 23. lib. 2. contra Iul. cap. 9. & cap. 10.* Sine peccato semper essemus: si ei nunquã consentiremus ad malum. *De perfect. iust. cap. 20.* Vt *Conc. Trid. sess. 5. can. 5. Lib. 10, Conf. c. 30. Lib. 10. de Gen. c. 15.* & alibi sæpè inculcat motus concupiscentiæ in somnis non esse peccata: imò hinc infert *lib. 1. Ciu. 25.* Quanto magis motus concupiscentiæ absq; culpa est in corpore non consentientis: si absq; culpa est in corpore dormientis. Quia ille vigilando liberè resistit: non autem hic dormiendo.

4. *Ex oratione cõtinua Iustorũ.* Vt *Tract 6. in 1. Ioan.* Quid est, *Rom. 8.* Spiritus interpellat pro Sanctis? Nisi ipsa charitas, quæ in te per Spiritum facta est? Charitas ipsa gemit, charitas ipsa orat: contra hanc aures claudere non nouit qui illam dedit. Securus esto, charitas roget, & ibi sunt aures Dei. *Epist. 121. ad Probam cap. 9.* In ipsa fide, Spe & Charitate con-

tinuato desiderio semper oramus. *Epist. 106.* Si quis dicat quod fides mereatur gratiam benè operandi, gratissimè confitemur. Cum ergo fides impetrat, ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, &c. *Lib. de Dono perseu. cap. 6.* Hoc donum suppliciter emereri potest &c. *l.10.conf.29.* Da quod iubes,& iubè quod vis. *Ibidem cap.17.* &vbiq; Fides orando impetrat, quod lex imperat.

5. Ex vi & fructu Baptismi, etiam præteriti. Vt *Epist. 106.* Fides vera tenet, quod gratia Dei per Iesum Christum transfert à morte primi hominis, ad vitam secundi: non solum peccata delendo, verum etiam ad non peccandum rectèq; viuendum adiuuando. *lib. 5. contra Iul. cap.3.* Quando Deo donante ex vera viuitur fide: ipse Deus adest, & mēti illuminandæ, & concupiscentiæ superandæ, & molestiæ perferendæ. *Cap.15.* Absit vt, sicut calumniaris, regeneratos redigamus sub necessitate criminum, &c. *Lib. de corrept. & gratia cap. 6.* Si iam regeneratus in malam vitam relabitur: non potest dicere,nō accepi. *Lib.1.de pecc.orig.40.& 1.de nupt. & conc.33.* Eodē lauacro mundantur quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate cōtrahuntur &c. In ipsa oratione Dominicâ, quo fructu diceretur *Dimitte nobis* &c. nisi ab eis qui baptizati sunt? *Lib. 3. ad Bonif. cap.3.* Peccant & Filij Dei, *1. Ioan. 1.* Sed quà sunt Filij huius sæculi: quà vero gratiâ sunt Filij Dei, non peccant. *1.Ioan.3.* Ergo in quibus non est fides,filij sunt Diaboli:quia non habent, *vt illi.*, cur eis dimittatur quicquid committitur.

6. Ex defectu nostri conatus possibilis. Vt *Lib. 1. de Pecc.mer.& rem. cap.39.* Fit vt non exertis contra concupiscentiam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita cedamus. *lib.2. cap. 3.* Magnis aliquando & totis viribus opus est volūtatis &c.vt *col.9.lin.17. Cap.5.* Nec tamen solis votis agendum est: vt non subinferatur, adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. *Cap. 15.* Non quæritur vtrum fieri possit: sed vtrum quis faciat &c. Neminem autem esse qui tantum velit quantum res exigit, iam ante præcognitum est. *Libro de Spir.& Lit.c.35.* Sine exemplo est in hominibus perfecta iustitia, & tamen impossibilis non est: fieret enim,si tanta voluntas adhiberetur quanta sufficit tantæ rei.

Concordia S. Augustini secum ipso.

MIrum est, non solum quosdam Literiones, sed tantos Theologos à vero & tam expresso sensu *B. Aug.* imò & à seipsis tantum aberrare: vt *D.Iansenius Tom.2. l.2.c.24.* de statu naturæ lapsæ, mentem *S. Aug.* optimè assecutus, de nullo peccato actuali coucupiscentiæ, nisi ex proprio consensu; & l.4. c.21. de quadam necessitate vel coactione peccandi, non tamen absoluta, sed solùm morali, ex metu aut cupiditate: postea eodem Tomo de statu puræ naturæ, *l.2. c.14.* sustineat, motus concupiscentiæ etiā indeliberatos esse *illicitos; Tomo antē 3. de Gratia Christi, l.3. toto cap.13.* sed verbatim *col.334.* labatur in totam illam propositionem condemnatam. Cùm æquè potuisset & debuisset interpretari *B. Aug.* de quadam impotentia morali, sensibili,seu experimentali: ac suprà de necessitate seu coactione illa morali. Nam pleraq; ab ipso citata,& à nobis recitata, satis hoc indicant.

Quid? Quod ipsi fideles idiotæ, per propriam experientiam facilè percipiant, se subinde pati quandam talem impotentiam seu difficultatem, ex priuatione aut minutione solitæ gratiæ sensibilis, seu experimentalis: nec ideo diffidant de necessaria gratia spirituali ac insensibili; sed etiam se ipsos consolentur, exemplo Christi Domini, hanc etiam inter alias passionem seu derelictionem in cruce experti.

Non imputetur ergo doctrinæ Augustinianæ vllum periculum nec occasio ab eius vero sensu aberrandi: sed soli prauo affectui, vel erroneæ humanæ conditioni. Quæ vt inter infinita peccandi pericula non potest semper omnia peccata euadere: sic nec inter infinita errandi pericula omnes errores cauere. Hinc tanta est necessitas Fidei, & Ecclesiæ, ac Societatis Christianæ: vt vnus alterum fraternè corrigat ab errore. Quamuis Deus quoq; ad hunc finem vtatur humana quadam æmulatione doctrinæ.

Reliqua pro & contra I. Prop. Reprobam.

SAMVEL *Pag. 85.* Ex *S. Bern. Serm. 50. in Cant. Deus mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit, sed humiles* RESP. Ex eodem ibi. *Est charitas in actu, & in affectu: de illa puto datam esse legem &c. Aut si placet de affectuali &c. non contendo &c. Ergo mandando impossibilia* .i. naturaliter, *nō preuaricatores homines fecit, sed humiles* .i. dependentes à sua gratia. *Hoc dixerim, si consenserimus affectualem fuisse lege mandatam: sed actuali potius conuenire videtur, ex Luc. 6. Ioan. 14. &c. Neq; hoc dico, vt sine affectione simus &c. Sed est affectio quam caro gignit, quam ratio regit, & quam condit Sapientia. Per 2. Opera fiunt, & in ipsa charitas sedet &c.* 1. Ioan. 5. *Diligamus opere & veritate* .i. *Moueamur ad bene operandum, magis quodam viuidæ veritatis impulsu, quàm sapidæ illius charitatis affectu.* Quia vt nos supra, hic est potiùs passio quadā amoris ex obiecto, quàm actus à subiecto.

Pag. 35. Contra *Becanum* supra *p. 7. l.19.* RESP. Ex *2.Cor.3.* de littera occidente,& spiritu viuificāte. Pag. 74. *Baptisma non potest facere ex peccato non peccatum, nec rerum mutat essentias. Nec remittit Conc. vt non sit, sed vt non imputetur in peccatum.* RESP. Nec Reatus culpæ,nec pœnæ, est de essentia actus: quanto minùs agentis? Cui remissum est debitum non habendi tales motus. Nec *B. Aug.* vult quod remisso reatu culpæ & pœnæ, *Conc.* maneat actu peccatum;sed eadem res,seu actus,vt antè. *Ibid.*

Nec plenè voluntarium est de essentia peccati: Nec motus Conc. sunt inuoluntarij; sed quadam velleitates. ℞. Fortè non sunt actus,sed solum passiones:vel preueniunt omnem vsum liberū rationis & voluntatis.

P. 75. Iac. 1. *Conc. concipiens est peccatum internum.* RESP. Sed prior tentans, non est peccatum.

P. 83. *Vt creditor potest exigere debitum, à prodigo impotente: sic & Deus à nobis.* ℞. Non à Baptizatis, quibus remisit omne debitum impotentiæ. *Ex Ans. de concord. gratiæ & liberi Arb. & de Concep. Virg.*

P. 85. *Veniale est etiam contra legem.* Resp. minus obligantem, nec ad singula obseruatu impossibilem.

Reliqua eius contra varias opiniones Scolasticas recentiorum, non sunt cum hæreticis contendenda.

INteriori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

SAMVEL *pag. 35.* Hæc est quoq; Ianseniana *lib. 2. de Gratia Christi cap. 24.* Pro qua & quarta simul, plurima hinc inde promiscuè: quæ pro hac sola ordinatè, sed breuiter recolligamus.

1. *Pag. 87.* Ex Sacris Script. sed ordinarijs pro sola gratia efficaci, de qua ad *Prop. 3.* omissa ad hanc pertinentissima. *Rom. 9. Voluntati eius quis resistit?*

2. P. 85. Ex Sacris Conc. *Mil. Arauf. 2.* De gratia etiam volendi, & agendi.

3. *Pag. 35.* Ex *S. Aug.* De sola etiam gratia efficaci ipsius velle. Vt *l. de Corrept. & gratia, cap. 11. 12.* De adiutorio SINE QVO NON ante lapsum, sed post, ETIAM QVO, *indeclinabiliter, & insuperabiliter agente.* Cap. 14. *Deo volenti nullum resistit Arbitrium.* Lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Non potest effectus Misericordiæ Dei esse in hominis potestate: vt frustra De' misereatur, si homo nolit.* Lib. 1. ad Bonif. *c. 19. De' trahit miris modis, vt volentes ex nolentibus fiant.* Omissa potiori ipsius *Ians.* loco citato *col. 200. Aug. non rarò dicit hominem operanti Deo per gratiam, NON POSSE RESISTERE,* &c. L. de Corrept. & Grat. *c. 14. Non est dubitandum voluntati Dei, qui quæcũq; voluit fecit, Ps. 113. humanas voluntates non posse resistere: quominùs faciat ipse quod vult.* Exemplificat in regnis tradendis, aut mutãdis. Deinde sic applicat. *Quis alius facit vt salubris sit & fiat in corde correpti correptio, vt cœlesti constituatur in regno?*

4. Ex varijs argumẽtis. P. 87. *Prædest. est gratiæ præparatio: ergò necessario infallibiliter & insuperabiliter operatur.* Pag. 88. *Ad hanc conuertentem se habet homo merè passiuè & obedientialiter: quia vocatur Creatio, Regeneratio, &c.* Pag 90. *Reliquæ gratiæ extrinsecus oblatæ non debent extendi ad interiorem, de qua sola Ianseniitæ. Nec ideo non agit irresistibiliter, quod multi non illico obsequantur &c. Nam satis est quod homo nequit impedire, quin piæ inspirationes per eam existentur. Potest ad plura se extendere &c.*

Sed hæc & reliqua pertinent potiùs ad Prop. 4.

HÆreticam declaramus, & vti talem damnamus. S. D. N. INNOC. *in sua Cõst.*

1. Ex Sacris Script. De vera vocatione *Adam, Cain, Iudæ*, & aliorũ, *Ps. 94. Matt. 11. 22. 23. Luc. 19.* Hinc *Prou. 1.* Vocaui, & renuistis, &c. *Mat. 20.* Multi vocati, pauci electi. *Act. 7.* Vos semper Spiritui S. resistitis. *2. Cor. 6* Ne in vacuũ gratiam Dei recipiatis. *Heb. 12.* Ne quis desit gratiæ Dei.

2. Ex Sacro *Conc. Trid. sess. 6. c. 5.* Tangente Deo cor hominis, &c. inspirationem illam recipiens, ILLAM ET ABIICERE POTEST. *C. 11. & 14.* vt supra *col. 10. Can 4* Lib. Arb à Deo motum & excitatum, POTEST DISSENTIRE, SI VELIT.

3. Ex *S. Augustino.* De excœcatione, obduratione, desertione, seu priuatione, aut minutione gratiæ actualis ex demerito proprio, & contemptu aut neglectu gratiæ, etiam actualis. Vt patet ex locis innumeris: sed præ & pro omnibus, ex *lib. 1. ad Simpl. q. 2.* Noluit Esau & non cucurrit: sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset: qui etiam ei velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. *Infra.* De vocatione multorum, & electione paucorum. *Mat. 20.* Verum est ergo, multi vocati, pauci electi: illi enim electi qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebãt vocationi, non electi, quia nõ secuti, quamuis vocati. *Infra.* Cuius Deus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere vt vocantem non respuat. Quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam *Esau* ad fidem mentem applicaret? Quod si tanta potest esse obstinatio, vt contra omnes modos vocationis obdurescat: quæritur vtrum de diuina pœna sit ipsa duritia? Cùm enim Deus deserit, non sic vocãdo quomodo ad fidem moueri potest: quis dicat modum quo ipsi persuaderetur credere, etiam omnipotenti defuisse?

Lib. 8. Conf. à cap. 5. ad 10. l. de Grat. & lib. arb. c. 17. Lib. de Pers. Iust. à c. 6. ad 11. De quadam lucta inter initium bonæ voluntatis per gratiam actualem, & priorem malam. Vt supra *col. 10.*

Concordia Sacræ Script. Conc. & Aug.

QVanta Dei & Ecclesiæ prouidentia in hac Prop. tam præcisè reprobanda: vt vix Cerberus *Samuelis* inueniat quod rodat! Nam nil aliud definit, quam quod est quasi in experientia & confessione quotidiana omnium fidelium .i. Nos quotidie delinquere, resistendo aliquo modo gratiæ Dei. Quo autem modo: an post, ante, vel simul, priuatiuè, contrariè, vel formaliter, pertinaciter, vel non: videtur adhuc relinqui in suspenso. Sed potiùs his omnibus modis: per negligentiam, & prauos motus, ac habitus, gratiæ oppositos. Nec enim ita opponuntur: quin simul esse possint, gratia in intellectu, & motus oppositus in affectu; vel hic in appetitu inferiori, & illa in superiori; imò & quædam semi-volitiones & nolitiones eiusdẽ. Itaq; licet ad hanc definitionem sufficiat, alicui gratiæ, & aliquando resisti: potest tamen etiam aliquo sensu resisti gratiæ efficaci. Hinc *Ad 1.* Quod non possit resisti voluntati Dei. ℞ Non agi de resistendo voluntati Dei: sed gratiæ, seu effectui eius, ne sit, vel tam promptus, & perfectus noster consensus, vel assensus. Nec est opus hic contendere, an & quomodò quæuis voluntas Dei sit absoluta & efficax: an solius effectus immediati, vel finalis; an determinatè, vel disiunctiuè; vt exemplificat *B. Aug. l. 2. de libero Arb. c. 9. & de Spir. & Lit. c. 33.* in *Hero* volente vt famuli agant aliquid honestum & facilè, vel mundẽt cloacã, aut molãt in pristino. *Ita*, inquit, *volũtas Dei semper inuicta est. Enchir. 100.* Miro & ineffabili modo non fit præter eius voluntatem, quod fit contra &c. Et *serm. 29* DE VERBIS DOMINI, videtur etiam applicare singulis illud *Mat. 23. Quoties volui, & noluisti*: quamuis alibi exponat in communi.

Ad gratias efficaces, vt *victrices, insuperabiles, omnipotentes, irresistibiles.* ℞. Non ipsas, sed voluntatem Dei, qua conferuntur, dici & esse tales: imò *victoriam* supponere aliquam pugnam seu resistentiam: *Omnipotentiam*, non applicari infinitè, sed moderatè, inclinando nos in infinitum, vsq; ad victoriam. Nec vllibi dicitur non posse resisti vlli tali gratiæ; sed non resisti, quoad primum motũ, & effectũ ntentum. Vt tandem ipse *Samuel* fatetur.

Ad Arg. *Samuelis*, à definit. prædest. *Est præparatio gratiæ.* ℞. Non huius solius, sed simul æternæ. Vt contra Frontispicium eius, & *Prop. 4.*

III. PRO-

AD merendũ & demerendũ in statu naturę lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

SAMVEL Pag. 36. *Iansenius probat toto lib. 3. & 4. de Statu naturæ lapsæ, & lib. 6. de Grat. Christi c. 6.*

1. P. 93. *Script. mille locis impotentiam benè agēdi tribuit homini irregenito, fide & gratia Christi destituto. Vt Ier. 13. Mat. 7. Ioan. 15. Rom. 8. 14. Hebr. 11. 1. Cor. 2. 2. Cor. 3. Iam autem noscunt pueri, id necesse esse fieri, quod non fieri impossibile est.*

2. Pag. 96. *Ex Conc. Arauſ. can. 22. Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.*

3. Pag. 96. Ex Sanctis Patribus. *Hier. ad Ctesiph.* Ad hæc Pelag. *Si nihil ago absq; Dei auxilio: non ego, sed Dei in me coronabitur auxilium, &c. R. Qui hæc dicit, quàm non excedit blasphemiam?* P. 36. 37.

Aug. Enchir. c. 30. *Qualis potest serui addicti esse libertas: Nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim seruit, qui libenter facit &c.* Lib. 1. Retr. 9. *Voluntas ipsa nisi Dei gratia liberetur à seruitute peccati, rectè pièq; viui non potest &c.* Enchir. 105. *Liberius erit arbitrium quod omnino non poterit seruire peccato.* Lib. 5. Ciu. 10. *Nescio cur eam necessitatem timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Lib. 22. c. vlt. *Nunquid Deus, quia peccare non potest, liberum arb. habere negandus est?*] *Ad voces merendi & demerendi &c. Aug. de grat. & lib. arb. cap. 6. Dona sua coronat Deus, non merita tua.*

Pag. 97. *Bern. de grat. & lib. arb. In eo,* inquit, *consensus voluntarius est liber, quod non cogitur. Est quippè voluntatis, non necessitatis. Vbi ergo consensus, ibi voluntas: Vbi voluntas, ibi libertas. Libertas à* NECESSITATE, *æquè Deo, tamq; malæ quā bonæ rationali conuenit creaturæ &c. Conuersus per gratiam consensus, eò liberè bonũ facit, quò* VOLVNTARIVS, *non* INVITVS. *Sic* SPONTE *deuolutus in malum, tam liberum, quàm* SPONTANEVM *constituit, non aliunde* COACTVM &c. *Quid ergo: perijt liberũ arb. quoniam non potest non peccare? Nequaquam. Nemo proinde putet sic dictum, quòd æqua inter bonum & malum potestate aut facultate versetur.* Serm. 81. in Cant. *Nescio quo prauo & miro modo ipsa sibi voluntas necessitatem facit: vt nec necessitas excusare valeat voluntatem, nec voluntas excludere necessitatem. Est enim quodammodo voluntaria &c.*

Sed mala fide præterit ibi. *Est ratio data voluntati vt instruat illam, non destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei vllam imponeret, quominùs pro arbitrio se volueret, siue in malum consentiens appetitui, siue in bonum gratiā sequens.* Hìc autem. *Omne quod feceris bonum malumue, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur.* Post. *Quod dico, de naturali, non de spirituali libertate &c.*

4. A varijs argumentis. *P. 93. Ex quorundam excæcatione & obduratione. 94. Ex efficacia irresistibili gratiæ. Ex indentitate inter* LIBERVM *&* SPONTANEVM, *oppositum* COACTIONI, *nō* NECESSITATI *in S. Script. Ex varia* NECESSITATE, *conciliabili cum libertate. P. 95. n. 45. 46. Ex libertate Dei, Angelorum bonorũ, & Christi, cum necessitate ad sola bona. Idemq; in regeneratis, saltem in sensu composito: vt in diabolo & reprobis est libertas essentialis cum necessitate saltem generica pccand, n. 46. Ex nomine græco* LIBERI *pro* SPONTANEO, *&c.*

HÆreticam declaramus, & vti talem damnamus. S. D. N. INNOC. X.

1. Ex Sacris Script. supra *col. 4.* Et *Gen. 4.* Sub te erit appetitus eius .i. peccati, & tu dominaberis illius. *Deut. 30.* Elige vitam &c. *Eccli. 15.* Deus reliquit hominem in manu consilij sui. *Eccli. 31.* Potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & nō fecit. *1. Cor. 7.* Non habens necessitatem, potestatem autem habens voluntatis suæ. *2. Cor. 9.* Non ex tristitia aut necessitate.

2. Ex Sacris Conc. *Arauſ. 2. can. 1. 8. 13.* De lib. arb. minuto, sed adhuc reliquo. *Constant. sess. 8.* contra necessitatem *VVicleffi. Trid. sess. 6. cap. 1. 5. 11. can. 4. 5. 6. 18.* vt *Arauſ. 2.* Deq; libera potestate cōsentiendi, vel dissentiendi gratiæ mouenti; & peccandi, vel nō.

3. Ex Decretis Summorum Pontif. Vt *Cælestini can. 11.* Auxilio Dei non aufertur liberum arb. *Pij V. Gregorij XIII.* contra has Prop. Bayanas. 38. Quod voluntariè fit, etiamsi necessario fiat, liberè tamen fit. 63. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. 64. Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.

4. Ex SS. PP. *Hier. col. 6.* In nostra est potestate, vel peccare, vel non peccare: vt liberum seruetur arb.

B. Aug. supra *col. 9. 10. 11. 12. & Lib. de Spiritu & Lit. 33.* Videamus vtrum huic satisfaciat quæstioni, quòd liberum arb. illa media vis est, quæ vel intēdi ad fidē, vel inclinari ad infidelitatē potest &c.] Quod non sub dubio, sed pro certo supponit, ad inquirēdum an satisfaciat illi quæst. Sed ne quid subsit dubij, cauendum est ex *Epist. 106. Ne æqua lance perpendatur* .i. quasi esset æquè media vis inter bonum & malum. Subdit. [Vult autem, Deus omnes saluos fieri: non sic tamen vt eis adimat liberum Arb. quo benè vel malè vtentes iustissimè iudicētur. *Lib. 12. Ciu. 6.* Si ex duobus æqualiter affectis vnus moueatur ad illicita, alter in volūtate pudica stabilis perseueret &c. Quid apparet nisi vnum voluisse, alterum noluisse? *Libro de duabus Animabus cap. 13.* Quod in deliberando nunc in malam, nunc in bonā partem nutat assensio: cur hoc non signum est vnius animæ, quæ libera voluntate huc & illuc ferri, hinc atq; hinc referri potest. Sic & *8. Conf. c. 8. 9. 10.* Distenditur cor hominis, cùm deliberatur quid potiùs eligat. *L. 2. contra Faust. c. 2.* Liberum Arb. quo vel benè, vel malè viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vendicemus. *L. 22. c. 28.* Homo instauratur per eam possibilitatem, per quam si voluisset non cecidisset. *Lib. 1. Imperfecti n. 48.* Multa sunt quæ agunt homines mala, à quibus est eis liberum abstinere: sed nulli tam liberum, quàm primò fuit Adæ. *N. 99.* Ex quo homo vti incipit voluntatis arbitrio, & peccare, & non peccare potest: sed alterum non nisi adiutus à Deo, alterum propria voluntate.] Quo confirmatur illud *Serm. 191. de tempore*, vt *col. 10.* Nos dicimus, semper homines & peccare, & non peccare posse: vt nos liberi confiteamur arb. *In Epist. ad Rom. prop. 62.* Non imputabatur Pharaoni quod non obtēperauit, quando obdurato corde non poterat; sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur. *l. 1. ad Bonif. 2.* Libertas quidem perijt: sed illa quæ in Paradiso fuit. *Contra Secundinum cap. 19.* Si habet in potestate, vel consentire, vel non: non ergo victa consentit.]

CON-

PRÆCONIA DOCTRINÆ S. AVGVSTINI
Ab *Innocentio I.* ad *X.* inclusiuè.

OMNIBVS
PROPRII NOMINIS, REGVLÆ, ET DOCTRINÆ
S. AVGVSTINI
PROFESSORIBVS, AC DISCIPVLIS:
AD VERVM SENSVM ECCLESIÆ, ET CONSENSVM TOTIVS DOCTRINÆ AVGVSTINIANÆ.

Contra calumnias Facti relatas folio sequenti.

Cùm autem *S. Augustinus* seipsum vsq; ad minimos verborũ lapsus correxerit, aliosq; sua vera correctione offensos, salua correctionis veritate, humili veniæ deprecatione placauerit, vt patet ex eius *Epist.* 19. & 111. quantò potiùs omnes veri eius discipuli, sed potissimè *Minor* omnium?

CORRECTORIVM.

QVòd sub Præfatione quosdam asperiùs correxerim, quasi ex præsumptione & iactantia Doctrinæ Augustinianæ præ ipsis etiam Maioribus Ecclesiæ. Quorum nihil mihi quidem conscius sum: sed solius correctionis fraternæ, & fidelis vigiliæ ad fores Ecclesiæ, contra omnes hostiles accessus. Si tamen quibusdam Ecclesiæ Maioribus ita videtur: libentissimè meam illam correctionem ad eorum pedes submitto.

Salua veritate & necessitate corrigendi hæc dicta, scripta, typis edita, populo prædicata.

1. Papa condemnauit ipsam Doctrinam *S. Augustini*, tacito solo eius nomine.
2. Quędam dicta *S. Augustini* non retractata (pace eius) sunt falsissima.
3. Vt *Origenes*, sic *Augustinus* docuit aliqua hæretica materialiter, teste *S. Hier. Epist. 92.*
4. *Augustinus* docuit multa figmenta non retractata, quæ nemo iam orthodoxus docere ausit.
5. *Augustinus* non est Doctor Irrefragabilis; sed inconstantis Doctrinæ.
6. Non est legendus nisi cum cautela & suspicione.
7. *Cælestinus* Papa non declarauit eum sine vlla suspicione Doctrinæ: sed vitæ, seu hæresis, & excommunicationis.
8. Cùmq; Papa falli possit de facto: nec inde Sanctitas *Augustini* est sine dubio.
9. Hæc est tota laus *August.* à *Cælestino* Papa.
10. Doctrina *S. Augustini* plus nocuit, & nocet Ecclesiæ, quàm profuerit & prosit.
11. Plus fauet hæreticis, quàm Catholicis, De Eucharistia, libero Arb. Gratia, & Prædest.
12. Non datur medium inter opiniones damnatas, & nouam scientiæ mediæ. Sicq; Ecclesia priùs fuisset in illo errore, vel ignorantia.

Quæ quantam Censuram mereantur, patet ex vera Censura sequēti, Contra omnes falsas.

CVm elementa contraria vires suas per Antiperistasim intendant; ingenia quasi inter se collisa in rationes lucidiores scintillent; voluntates suis oppositis præualere nitantur; vera fides hæresibus quasi emunctis illustretur, & persecutione seminetur ac radicetur; spes contra spem, seu ad difficiliora erigatur; charitas iniurijs exerceatur, nec ab vllo malo vincatur, sed vincat in bono malum; virtus in infirmitate perficiatur; & vbi abundauit peccatum, sæpe gratia superabundet, vt de suis oppositis gloriosius triumphet: quid mirum si qui doctrinæ B. AVG. præcones, nouis & inauditis eius calumnijs ac censuris stimulati, seipsos & omnes eiusdem doctrinæ discipulos, ad renouanda & concinenda eius præconia suscitent, imò vt philomelæ quadam concinendi & præcinendi æmulatione sese euiscerent? Nam vt palma pressa, candela emuncta, flamma sufflata: sic & fides Ecclesiæ, sacræ Script. & fama seu authoritas doctrinæ S. AVG. semper creuit aliqua contradictione, & hæreticorũ aut imperitorũ calumnijs illustrata fuit.

NOVÆ CALVMNIÆ HÆRETICÆ CVIVSDAM Samuelis Des-Marets, *Professoris hæreseos Grœningæ.*

AB anno 1651. in Præfatione suæ Synopsis de gratia, *pag. 4. Plurimas propositiones S. Augustini Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. in Iesuitarum gratiam censurâ notauerunt.* Infra. *Si doctissimi viri .i. Ianseniani, eâdem diligentiâ conferant Augustinum, qua eum legerunt in controuersijs de gratia, receptæ apud suos opinioni haud ægrè valedicent.* Subdit *pag. 5.* quæ solent deprauare ex *S. Aug.* contra veritatem Eucharistiæ. In eâdem Synopsi *pag. 25. Audeatis in os resistere impio illi Pontifici* .i. Pio V. *qui in suorum Iesuitarum gratiam, damnatâ Orthodoxissimâ sententiâ, puri puti Pelagianismi putidam & impiam protectionem suscepit.* Pag. 53. *Hodiernus Nocentius Pelagianos Iesuitas fouet in sinu.*

Ab anno 1654. in suâ quâdam Apologiâ, quasi pro *S. Aug. Iansenio & Iansenitis, contra Papam & Iesuitas*: sed reuera pro se suisq; Caluinistis, contra S. AVG. & veros fideles, non pertinaces Iansenitas, sub præfatione sine numeris. *Pontifex Romanus in Molinismi seu Pelagianismi gratiam Augustino inussit infame stigma hæreseos & blasphemiæ.* Part. I. pag. 1. *Innocentius X. in gratiam factionis Iesuiticæ in Iansenio ipsum S. Augustinum atro notat lapillo.* Part. III. pag. 77. *B. Aug. Sedi Romanæ exosus in causa Ianseniana reus est & damnatus.*

Quæ velut Augustini monstra & spectra hæretica, Sacrosanctæ Eucharistiæ veritati, & nostræ veræ libertati opposita, quamuis fideles & periti doctrinæ Augustinianæ discipuli, ab ipso vero *S. Augustino* facillimè discernant, & quasi solo signo Crucis, vel leui Exorcosmo .i. facili explicatione & applicatione ipsam veritatis confessionem ab his ipsis spectris extorqueant: quidam tamen minùs periti, his quasi monstris conterriti, de doctrina B. AVG. nimis diffidunt, & ab eius famâ & irrefragabili fide humanâ, ad eius secretas detractiones, imò & publicam negationem, ac censuras nimis infamatorias deficiunt.

Qui tam pauci & tantilli ne præbeant hæreticis vllam occasionem calumniãdi, nec minuant inter se, sibiq; nimis credulos, tantam famam doctrinæ Augustinianæ: priùs his præconijs ab illâ suâ nimiâ diffidentiâ & defectione sunt corrigendi, & ad cõmunem horum præconiorum concentum reuocandi, quàm hæretici conuinci & cõpesci possint. Quo enim iure, his dissimulatis, illæ *Maretij* calumniæ reprobētur?

Quamuis autem sola tantæ famæ possessione explodi possint, nec vllum desuper Ecclesiæ iudicium mereantur: quia tamen falluntur & fallunt, solo studio & affectu fidei Diuinæ & infallibilis, supra omnem humanam, quantumuis irrefragabilem, quodamq; vano timore ne hæc illi opponatur: ad imitationem *S. Aug. lib. 1. contra Iul.* conuocemus quasi Concilium generale, seu chorum integrum omnium præconum doctrinæ Augustinianæ, ab INNOCENTIO I. Papa, vsq; ad X. inclusiuè; vt qui huius simphoniæ periti non sunt, nec huic choro & concentui præconiorum assueti, saltem succinere non erubescant nec dedignentur.

De Præcentore huius Chori.

CVius totius Chori omniumq; præconiorum præcentor ordine temporis iure merito sit *S. Hieronymus*, pluribus ad *S. Aug.* Epistolis. Vt *Epist. 25.* inter Augustinianas. *Macte virtute, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atq; suspiciunt: & quod signum maioris gloriæ est, omnes hæretici detestantur, & me pari persequuntur odio; vt quos gladijs nequeunt, voto interficiãt.* Lib. 3. Dialog. contra Pelagium sub finem: *Supersedendum huic labori censeo: ne dicatur mihi, in syluam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus; aut si noua, à clarissimo ingenio* .i. AVGVSTINO, *occupata sunt meliora.*

Quo præconio, *Conditoris antiquæ rursum fidei*, non supponit veram fidem nec Ecclesiam euersam aut corruptam fuisse: sed inter multas hæreses & hæreticos inuolutam, doctrinâ *S. Augustini* ad verum antiquum statum emersisse. Nec idem ab his suis præconijs dissonat *Epist. 79.* inter suas, sed 11. inter Augustinianas *cap. 4. Hæc ergo summa est sententiæ tuæ, vt post Euangelium benefaciant Iudæi credentes, si legis mandata custodiant. Si hoc verum est, in Cerinthi & Hebionis hæresim dilabimur, &c.* Epist. 92. inter suas, 14. inter Augustinianas. *Cauebam ne Episcopo communionis meæ viderer procaciter respondere; præsertim cum quædam in illa hæretica iudicarem.* Quia hæc in feruore disputationis ex dicto *B. Augustini* minùs expresso nec intellecto illata, leuiterq; iudicata seu opinata, nihil derogant aut præiudicant correcto & absoluto iudicio eiusdem, sub finem eiusdem Epistolæ, excusando se ab instantia B. AVG. corrigendi liberè eius scripta. *Si in Euangelijs ac Prophetis peruersi homines inueniunt quod nitantur reprehendere: miraris si in tuis libris, &c. quædam à recta linea discrepare videantur? Et hoc dico non quod in operibus tuis quædam reprehendenda iam censeam. Neq; enim lectioni eorum vnquam operam dedi, nec horum apud nos copia est, &c.* Vbi hoc, IAM, est relatiuum ad illud præteritum leue iudicium: non autem ad alios libros necdum lectos, de quibus nihil censere potuisset. Illa autem comparatio, inter ea quæ in libris S. AVGVSTINI videri possunt *discrepare à recta linea*, & illa quæ *peruersi homines in Sacris Scripturis nituntur reprehendere*, satis profitetur suum illud iudicium non fuisse verum nec absolutum, sed solum apparens. Alioquin non potuisset hîc à *S. Hieronymo* bona fide dissimulari. Ex tunc ergo satis intellexerat dictum illud B. AVG. de obseruandis legalibus à Iudæis, fuisse intelligendum permissiuè solùm initio legis nouæ. Prout exprimit B. AVG. Epist. 19. ad S. Hier. *Fateor in Epistola mea minus me posuisse, illo duntaxat tempore quo primùm fidei gratia reuelata est, &c. Proinde potiùs culpanda est negligentia mea, quia hoc non addidi, quam obiurgatio tua. Verumtamen longè ante litteras tuas scribens contra Faustum quomodo eundem locum breuiter explicauerim, legere potest si non dedignetur benignitas tua* .i. lib. 19. cap. 17. & 18. Hæcq; præconia supponunt S. HIER. cessisse S. AVG. in tota illa controuersia de reprehensione S. PETRI à S. PAVLO: quod non ex simulatione, sed ex veritate & sinceritate. Quia quamuis hæc videantur ordine operum S. HIER. fuisse priora: veriori tamen ordine inter opera S. AVG. fuerũt posteriora, sub finem vitæ S. HIER. & post confutationem hæresis Pelagianæ à S. AVG. per varios eius libros, quorum mentionem facit HIER. in illis ipsis præconijs. Nec prior illa S. HIER. contra S. AVG. contentio quicquam derogat huius doctrinæ irrefragabili: sed potiùs eam promouet ad famam & fidem irrefragabilem. Quia tunc necdum erat S. HIERONYMO irrefragabilis: sed hac sua fama præ ipso S. HIERONYMO, profecit in irrefragabilem.

De Succentore huius Chori.

CVm sint qui humilitate seu humili sensu B. AVGVST. de propria doctrina, ad quandam de ea diffidentiam, & libertatem censurandi abutuntur: vtamur nos eodem vt modestissimo, fidelissimo, & veracissimo propriæ doctrinæ succentore, in ipsa publica suorum peccatorum & errorum confessione. Lib. 4. Confess. cap. 16. *Quid mihi*, inquit, *proderat, quòd annos ferè natus viginti omnes libros*

artium per me ipsum legi & intellexi &c.? Nec sentiebam illas artes etiam à studiosis & ingeniosis difficillimè intelligi: nisi cum eis easdem conarer exponere; & erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem non tardius sequeretur.

Cùm ergo ab illa ætate esset tanti ingenij naturalis supra omnium captum circa difficillima naturalia: quantæ eminentiæ censendus est supra omnem captum nostrum circa supernaturalia, ex tanto eius studio & auxilio gratiæ Dei? Quis ergo eius doctrinam non suspiciat vt nobis omnibus irrefragabilem: sed despiciat vt cuiusuis iudicio & censuræ subditam? Quid mirum si qui huius ingenio nimis impares, ab eius studio difficiliori resiliant? Sed mirum est vllos ingeniosos minimo tanti ingenij prægustu non rapi in eius studium & affectum.

Lib. 1. de Trin. cap. 3. *Arbitror nonnullos tardiores in quibusdam locis librorum meorum opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi: quorum errorem mihi tribui non debere quis nesciat? Quandoquidem nec ipsis Sanctis diuinorum librorum authoribus vllo modo quisquam rectè tribuerit tam multos & varios errores hæreticorum.* Quibus verbis prædixit & præuenit omnes suæ doctrinæ censores & censuras. *Tardiores*, inquit .i. vel ingenio nimis mediocri, & studio remissiori, & tempore breuiori, vel serotino: qui varijs & laboriosis studijs confecti, iamq; proprijs vel alienis opinionibus imbuti, necdum tamen dictionis nec mentis S. Avg. conscij: vix sunt capaces priora dediscendi & noua discendi, sed potius sua docendi: multò minùs à principijs, elementis, idiotismis, seu propria dictione Augustiniana inchoandi. Vnde nec eum legunt aut consulunt vt discipuli magistrum: sed potius examinant vt censores & iudices suum reum vel testem. *Quandoquidem &c.* Quæ comparatio doctrinæ suæ cum canonica: non est ad æqualitatem, sed ad hanc saltem similitudinem, non imputandi sensus nostros erroneos Sacræ Scripturæ, nec doctrinæ Augustinianæ, sed nobis ipsis. Neq; hæc comparatio repugnat humilitati qua solet doctrinam canonicam suspicere, & suam despicere: sed conciliat humilitatem veritati, & veritatem humilitati.

Lib. de dono perseuer. cap. vlt. totius doctrinæ suæ. *Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent &c. Qui verò me errare existimant, etiam atq; etiam quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent* .i. Ne lectores doctrinæ S. Avg. de proprio ingenio præfidant: nec vt ingrati gratiæ Dei sine vlla oratione aut gratiarum actione, ex seipsis veram eius intelligentiam præsumant; nec primæ suæ lectioni ac sensui fidant; sed nulli lectioni ac considerationi parcant; nec vllum falsum sensum ipsi S. Avg. seu eius doctrinæ, sed sibiipsis imputent, & verum sensum S. Avg. supra suum captum suspiciant. Sub Prologo suarum Retract. *Restat vt meipsum iudicem, sub vno Magistro, cuius iudicium euadere cupio, &c.* Quæ iterata Tractatio, vltima Manus-Impositio, coram ipso Deo Reuisio, & tam paucorum ac leuium exceptio: est magna laus & confirmatio totius reliquę doctrinę, vt correctissimę & irrefragabilis. Nec excepta seu correcta sunt doctrinę Augustinianę: cùm sint ęquè ac deleta ab ipso Authore. Quę autem his Retract. non fuerunt quasi cribata: vel sunt solùm moralia, popularia, & facillima: vel in aliquo simili satis exemplariter correcta. Quarum Retract. imperiti, non sunt capaces verę doctrinæ Augustinianæ.

Epist. 110. ad suum Clerum & populum. *Placuit mihi & vobis, propter curam scripturarum quam mihi fratres & patres mei Coepiscopi duobus Concilijs, Numidiæ, & Carthaginis, imponere dignati sunt, vt per quinq; dies nemo mihi molestus esset.* Qua humili excusatione ab alijs negotijs, satis testatur quantæ fidei & æstimationis fuerit apud omnes suos Coepiscopos: vt inter trecentos vel quadringentos Episcopos Ecclesiæ tunc Africanę, ab omnibus eligeretur non solum in scribam, sed quasi in conditorem & authorem sacrorum Canonum fidei & morum, à Summis tamen Pontificibus confirmandorum.

Archipræcones illius primi chori, ab anno Christi 400. ad 450.

Ex Baronio & Bellarmino.

ILli Præcentori, & huic Succentori concinit totus Ecclesiæ Chorus, ipsiq; Sūmi Pontifices ab Innocentio I. ad X. inclusiuè: qui toti Choro, eiusq; cōcentui in suis Thronis successiuè præsideant, & intonent seu tonū attollant. Nā hanc Doctrin.

Innocentius I. Epist.91.93.96.97.inter Augustinianas, magna cum laude approbat & confirmat, ab his Concilijs Epist.90. 92. 95. ad se relatam. Cui *Zozimum, Bonifaciū, Cælestinum,* & *Sixtum* Successores eius concinisse, & hunc Chorum Archipræconum ac præconiorum cumulasse, patet ex *l.2.Retract.cap.50. & 61.* totisq; libris 4. *B.* AVG. ad *Bonifacium* Papam, Epist.106.ad eundem, 261. ad *Cælestinum* Papam, 104. 105. ad *Sixtum* necdum Pontificem, Epist. *Cælestini* Papæ, & libris 4. *S. Prosperi.*

CŒLESTINVS Papa Successor BONIFACII & prædecessor SIXTI Epist. ad Episcopos Galliæ, contra detractores doctrinæ B. AVG. Cap. 1. *Augustinum S. recordationis virum, pro vita atq́ meritis in nostra semper communione habuimus, nec vnquam hunc sinistræ opinionis saltem rumor aspersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter Magistros optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt: vtpote qui vbiq́ cunctis amori fuerit & honori, &c.* Quo præconio ex propria scientia & experientia, non solùm vendicat S. AVG. ab omni sinistrâ suspicione vitæ, sed & doctrinæ. Nec censet eum esse aut fuisse solùm communis ac mediocris famæ: sed irrefragabilis .i. supra omnem sinistram suspicionem; & tantæ, vt inter Magistros optimos à tot tantisq; Summis Pontificibus haberetur. Sic autem nominatim haberi, est præ omnibus antonomasticè æstimari: cùm non possint esse plures æqualiter optimi; esseq; inter illos, seu in medio illorum, sit supra omnes apparere & eminere; & huius solius inter omnes nominatio, sit satis expressa antonomasia, seu præferentia sine cōparatione.

Cap. 2. *Quia nonnulli qui Catholico nomine gloriantur &c. Magistris tamen nostris quasi necessarium modum excesserint obloquuntur, eaq́ tantum sequi & probare profitentur, quæ Sacratissima B. Petri Apostoli Sedes contra inimicos gratiæ Dei sanxit & docuit: necessarium fuit diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ iudicarint, & de gratia Dei sentiendum esse censuerint &c. Itaut etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas vtiq́ suas fecerunt Apostolici Antistites, dum illas comprobarunt.* Subdit 9. Canones, per totidem capita, ex illis Concilijs Africano, & Mileuitano, ab Innocentio supra, & Zozimo Papa quadam Epistola non extante, confirmatos. Sed per gloriationem & oblocutionem illorum &c. censurantur quidem expressè soli Semipelagiani: sed & omnes monentur ne gloriando de nomine Catholico, Magistris nostris, minimèq; illi antonomastico, quem ipse Sūmus Pontifex Magistri sui nomine dignatur, refragari seu obloqui præsumant, quasi necessarium modum excesserint .i. quasi ex nimio zelo contra hæreticos in vlla materia, de natura, gratia, libero arb. prædestinatione, &c. vsq; ad vllum errorem excesserit. Quamuis enim S. Bonauenturæ, Scoto, & quibusdam alijs excessisse videatur: non tamen totam veritatis sphœram, sed solius fidei; nec vsq; ad vllum errorem, sed supra sensum seu captum communem, & fidei obligationem.

Cap. 11. *Profundiores difficilioresq́ partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere: quia ad confitendam gratiam Dei sufficere credimus quicquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerint.* Cū ergo hæc profundiora & difficiliora sint sine dubio doctrinœ B. AVG. nec ea ipse Papa audeat, quis præsumat contemnere? Ergo sunt nobis omnibus irrefragabilia: seu non possunt ab vllo nostrûm sine præsumptione & impudentia censurari, seu vllius erroris redargui. Quamuis enim non sint omnia in Canones fidei assumpta: cùm tamen sit vna eademq; compages totius doctrinæ; ipsa assumptione aliquarum partium ad summam infallibilitatem fidei diuinæ, reliquæ vnitæ coassumptæ sunt ad authoritatem irrefragabilem fidei humanæ. Quæ est propria differentia inter infallibile, cui non potest vllo modo subesse falsum: & irrefagabile, cui debetur tanta fides humana vt non possit vllo iure vel merito negari, nec sine præsumptione ac impudentia à nobis redargui falsi.

Inferiores Pracones Coæui.

SVbsideant ordinatè per sua subsellia, S. AVG. coæui, amici, condiscipuli, & discipuli immediati. S. PAVLINVS Epist. 31. ad S. Aug. *O verè sal terræ, quo præcordia nostra condiuntur! ô lucerna dignè super candelebrum Ecclesiæ posita!* Epist. 25. ad Alip. *Accepimus opus, S. & perfecti in Domino fratris nostri AVGVSTINI libris 5. confectum: quod ita miramur atq́ suscipimus, vt dictata diuinitus verba credamus.* Epist. 36. ad Romanianum. *Non tantùm gratulandum quod Episcopatum Augustinus acceperit: sed quod hanc Dei curam meruerint Africanæ Ecclesiæ, vt verba cœlestia AVGVSTINI ore perciperent.* Epist. 58. ad B. Aug. de 9. Quæst. *Dic mihi benedicte Doctor Israel, &c.* Epist. 249. ad S. Aug. *Quoties litteras Sanctitatis tuæ accipio, tenebras insipientiæ meæ discuti sentio.* Epist. ad Valer.

AVGVSTINVS

AVGVSTINVS subtilius omnibus volans, omnia reseranit: angelus non naturâ, sed gratiâ nuncupatur.

Nec præconia ALIPII & EVODII Episcoporum, quondam S.AVG. sodalium, imò nec ipsius NEBRIDII eius amicissimi, possunt vllius assentationis esse suspecta. Vt patet ex eorum inter se Dialogis, & plurimis Epistolis, quibus B. AVG. vt suum familiare oraculum consulunt.

Accinant etiam suas quasi Antiphonas SEVERVS Abbas, Epist. 37. ad B. AVG. *Deo gratias frater Augustine &c. Fateor, bene mihi tecum est, multum te lego &c. Redundantiam vberum tuorum recipiens, vires comparo. &c. O verè artificiosa apis Dei, construens fauos diuini nectaris plenos &c. Benedicitur Dominus per præconium oris tui, quod sic concinere & respondere facis canenti tibi Domino.*

Possidius in vita S. Aug. cap. 18. *Tanta ab eodem dictata & edita sunt, &c. vt ea omnia vix quisquam studiosorum nosse & perlegere sufficiat.* Sub finem Indicis. *Fecit Libros, Tractatus, Epistolas 1030. exceptis qui numerari non possunt.* Epist. ad Macedon. *AVGVSTINVS Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyssus sapientiæ, &c.*

S. HILARIVS Arelat. Episc. Epist. ad S. AVG. qua eum velut oraculum consulit, contra Semipelagianos. De quo S. PROSPER Epist. ad B. Aug. *S. Hilarium Arelat. Episc. sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremq́ in alijs omnibus tuæ esse doctrinæ* .i. exceptis ijs de quibus adhuc consulebat, & per duos postremos libros B. Augustini instructus fuit.

Sed præ omnibus S. *Aug.* discipulis, S. PROSPER nobis altius accinat, non solùm breues Antiphonas, sed integras Lectiones, Homilias, & Apologias totius doctrinæ Augustinianæ, Libris 4.

Ex quibus libro 4. cap. 1. *Gratiam Dei qua Christiani sumus, quidam dicere audent à S. memoriæ AVG. Episcopo non rectè esse defensam: quorum interstrepens domestica malignitas, non minus spernenda esset, quàm foris latrans hæretica loquacitas: nisi electis lupis, sub nomine ouium suffragarentur; essentq́ eiusmodi, vt nec ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda videantur &c. Non ergo negligendum est hoc malum &c. Sed studendum est, vt fallacium calumniantium hypocrisis detegatur: qui ex ipsa iniuriæ magnitudine, quam in vno cunctis, ac præcipuè Apostolicæ Sedis Pontificibus intulerunt, ab indoctis & parum cautis reuerentiam sibi præsumptione pepererunt. Nec enim, cùm sint bonæ opinionis viri, creduntur vllo modo tarditate intelligentiæ, aut temeritate iudicij in superfluæ querelæ conclamationem potuisse prorumpere &c. Vnde ergo hæc diligentia tam seueri emersit examinis? Quasi incognitum aliquod opus impetatur, ac non illa his morsibus doctrina lanietur, quæ nouorum hæreticorum commenta disiecit, & diabolicũ tumorem Pelagianæ elationis elisit. Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies huius viri ductu pugnat & vincit &c. Cur de his armis quibus communis fides est defensata causantur? Cur bellum confectum retractant? An victores displicent, & victi placent?*

Cap. 21. *En cuius dogmatis sunt Magistri, qui hanc pastoralis speculæ validissimam turrim crebra arietis pelagiani illisione pulsauerint &c. Non ergo cum istis noua acie dimicandum est, &c. Tunc istorũ machinæ fractæ sunt, quando B. memoriæ INNOCENTIVS nefandi erroris capita apostolico mucrone percussit &c. Quando Africanorum Conciliorum decretis B. recordationis Papa ZOZIMVS sententiæ suæ robur annexuit &c. Quando S. memoriæ Papa BONIFACIVS contra inimicos gratiæ Dei etiam regijs vtebatur edictis: & cum esset doctissimus, B. AVG. Episcopi responsa poscebat. Vnde & venerabilis memoriæ Pontifex COELESTINVS, Cælestium totius Italiæ finibus iussit extrudi &c. Nec segniore curâ ab hoc eodem morbo Britannias liberauit: quando quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani; & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam Insulam studet seruare Catholicam, fecit etiam Barbaram Christianam. Per hunc Virum etiam Orientales Ecclesiæ geminâ peste purgatæ sunt &c. Per hunc Virum intra Gallias istis ipsis qui Sanctæ memoriæ AVGVSTINI scripta reprehendunt, maleuolentiæ est adempta libertas &c.* Subdit quæ supra ex Epist. CŒLESTINI Papæ cap. 1. *Contra istam clarissimæ laudationis tubam audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere &c. istam in S. Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam. Legantur ad Marcellinum tres ipsius libri, ad S. Paulinum Epistola, ad B. quoq́ Apostolicæ Sedis tunc præsbyterum SIXTVM, nunc verò Pontificem, emissæ paginæ recurrantur &c. Ad B. memoriæ Papam BONIFACIVM libri 4. explicentur &c. Ac si in omnibus operibus idem doctrinæ spiritus præcessit: agnoscãt calumniatores superfluò se obijcere &c. Apostolica enim Sedes, quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat &c. Qui ergo hos proximè libros refutant, anterioribus acquiescant &c. Sed non faciunt: sciunt enim omnia Pelagiana sibi esse contraria &c. Igitur huiusmodi hominum prauitati, non tam disputationum studio, quàm authoritatum priuilegio est resistendum: vt de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere &c. Quod ne hypocritarum obtineatur insidijs, confidimus Domini protectione præstandum: vt quod operatus est in INNOCENTIO, ZOSIMO, BONIFACIO, COELESTINO, operetur & in SIXTO; & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reseruata pastori, vt sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos. Illo auribus suis doctissimi senis insonante sermone, quo collaborantem secum hortatus est,* Epist. 105.

Quæ Præconia, non solâ prosâ, sed etiam fuso carmine heroico cecinit contra ingratos. Inter quæ.

Condita sunt & scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxere vndante meatu
Et tercentenis Procerum sunt edita linguis &c.
An alium in finem posset procedere Sanctum

Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumq́
Augustinus erat: quem Christi gratia cornu
Vberiore rigans, nostro lumen dedit æuo &c.
Flumina librorum mundum effluxere per omnem.

.i. Concilium illud Carthaginense cui præerat *Aurelius* tunc Episcopus Carthag. quodq́ totum ingenio & doctrina S. *Aug.* directum, ab *Innocentio* Papa confirmatum fuit.

Per Pracones Seculares eiusdem aui.

SI non mereantur consessum inter sacros illos Praecones: stantes saltem verbo vel ipso facto concinant, viri illius aetatis celeberrimi. VOLVSIANVS Epist. 2. ad B. AVG. *Vtcumq, absq, detrimento cultus diuini in alijs Sacerdotibus toleratur inscitia: at cùm ad Antistitem* AVGVSTINVM *venitur, Legi deest quicquid contigerit ignorari.* MACEDONIVS ille Epist. 51. ad B. Aug. *Miro modo afficior Sapientiâ tuâ &c.* DARIVS Comes Epist. 264. ad B. Aug. petens ab eo libros suarum Conf. eiq; submittens honorarium pro sua Bibliotheca, cui S. AVG. refert gratias Epist. 265. BONIFACIVS ille Comes Africae, ad quem B. AVG. Epist. 50. 70. 205. Sed prae his omnibus MARCELLINVS ille, qui praeconio mortis propriae celebrauit fidem Catholicam & doctrinam Augustinianā, cuius fuerat cultor & protector deuotissimus. Vt patet ex tot libris à S. AVG. ei dicatis, *De Ciuit. Dei, De peccatorum meritis & remiss.* varijsq; ad eum Epistolis pro Ecclesia Catholica contra Donatist. A quibus in vindictam videtur fuisse trucidatus: teste S. HIER. sub finem lib. 3. contra Pelagianos. *Scripsit dudum vir sanctus & eloquens Episcopus Aug. ad Marcell. qui postea sub inuidia Tyrannidis Heraclianae ab haereticis innocens caesus est.*

Ex ipsis Hareticis eiusdem aui.

QVamuis sint extra chorum, & totam nauim Ecclesiae, nec mereantur recenseri inter Praecones doctrinae Augustinianae: vt tamen, O, inter chiphras non facit quidem per se vllum numerum, sed auget vim numerorum: sic & haeretici, siue reclamantes, siue acclamantes doctrinae *S. Aug.* multum extollunt eiusdem doctrinae praeconia; siue quod à tot tantisq; haereticis & haeresibus impugnata omnibus praeualuerit; siue quod apud ipsos haereticos aduersarios in tanto honore & admiratione fuerit, vt *Possidius* cap. 7. referat. *Ipsi quoq, haeretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore eum audiebant.* Et S. HILARIVS Arelat. Epist. ad AVG. *Illud tacere non debeo, quod se dicant tuam S. hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari.* Sicq; de plerisq; haereticis etiam hodiernis: qui vt de Sacra Script. sic & de doctrina *S. Aug.* tam vanè gloriantur; vt teste *Thoma VValdensi, Ioannes VVicleff* affectaret & à suis denominaretur *Ioannes Augustini.*

Praconia Chori sequentis: sub LEONE I. *vel* FELICE IV. *&* GELASIO, *ab anno* 450. *ad* 500. *ex eisdem.*

VT solent in quibusdam maioribus Monasterijs continuò diu noctuq; officia diuina celebrari: sic nec chorus, nec nauis Ecclesiae Catholicae vnquam vacauit à Praeconibus & Praeconijs doctrinae Augustinianae. Quamuis enim primi illius aeui praeconia huc vsq; continuò resonent; Semipelagianis tamen adhuc in Gallia mussitantibus, & per quendam librum *Fausti Regiensis* de gratia & libero arb. quasi contra solos Pelagianos, sed reuerà contra apicem fidei & doctrinae *S. Aug.* subtilissimè renascentibus: LEO I. successor illius SIXTI, vel vt alij malunt alius paulò posterior, desuper monitus, misit & commisit Episcopis Galliae Canones fidei à Prioribus illis Concilijs, Africano & Mileuitano, Summisq, Pontificibus ex doctrina *B. Aug.* conditos, vt eos recolerent & contra renascentes per Galliam Semipelagianos publicarent. Quod & conuocati ad solemnem Ecclesiae dedicationem in ciuitate Arausicana praestiterunt: & ad secum subscribendum clarissimos viros Galliarum Praefectos & Consules, vt eiusdem fidei & doctrinae praecones inuitarunt. Vt patet ex actis publicis eiusdem Concilij, & 25. illis Canonibus verbatim ex doctrina *S. Aug.* huc vsq; toto orbe celebratis, plerisq; in *Conc. Trid. sess. 5. & 6.* resumptis, & à PIO V. GREG. XIII. INNOC. X. adhibitis ad illustrandam ac discernendam Doctrinam S. Aug. ab erroribus ei imputatis.

Praconium prius vel post, ex Dist. 15. *Decreti c.* 3.

IN CONC. ROMANO 70. Episcoporum, sub GELASIO Papa: discernendo libros SS. Patrum in Ecclesia Catholica receptos; illisq; sed praecipuè libris *S. Aug.* decernendo authoritatem irrefragabilē, seu tantam fidem publicam, vt à nullo inferiore negari, reijci, vel censurari possint. Quia cum tot tantaq; sint *S. Aug* opera, prae reliquis Patribus: omnia sine vlla exceptione in illam authoritatem recepta sunt; imò & omnia S. Prosperi discipuli & Apologistae *S. Aug.* reprobatis opusculis antagonistarum, *Cassiani & Fausti* Regiensis; exceptis etiam quibusdam *Origenis & Ruffini.* Vnde patet omnia *S. Aug.* sine vlla exceptione approbata fuisse. Nec minuit hoc praeconium *Augustini* quod recenseatur inter plures alios SS. PP. absq; vlla praerogatiua: omnibusq; praeferatur Epist. B. LEONIS Papae ad Flauianum, inhibitâ omni eius contradictione *vsq, ad vnum iota, sub poena anathematis.* Quia recensetur suo ordine temporis, imò praeponitur *S. Hieronymo,* cum tot praerogatiuis supradictis. Inhibetur autem singulariter sub anathemate, ne quis contradicat illi Epist. S. LEONIS *in vllo iota;* quia est tota & expressa professio fidei contra Eutichen.

FAustus Regiensis, ex Monacho Lirinensi circa annum 480. succedens *S. Prospero* in Episcopatu, non successit in eadem fide & studio doctrinæ S. Aug. sed cum esset vir valde studiosus perfectionis moralis, quibus teste *S. Prospero* Epist. ad *B. Aug. spiritus Pelagianæ impietatis facilè illudit*, defecit ad subtilissimum semipelagianismum, quasi ad faciliùs conuertendum Pelagianos.

In quem finem scripsit libros de gratia & lib. Arb. quos cum libris *Cassiani*, *Gennadius* Massiliensis *libro de viris Illust.* circa annum 490. plurimùm collaudat, deprimendo Opera *S. Prosperi*, imò & detrahendo doctrinæ *S. Aug.* quasi ex propria eius confessione in *Retract.* suo multiloquio peccasset, parumq; abesset ab hæresi, essetq; censuratus de embrione .i. de traductione animarũ materialiter per embrionem, cum sæpe explicet se dispositiuè & exemplariter, imò aliter tribuat Hæresi Origenistarum. Quem *Gennadiũ* & *Faustum* imitantur, qui sub prætextu faciliùs reprobandi Pelagianismum, imò & Lutheranismum ac Caluinismum, conantur minuere famam doct. *S. Aug.* imputando ei errores retractatos, hæreses materiales, ipsumq; errorem de Traduce. Sed vt illi nihil minuerunt, sed auxerunt famam Doctrinæ *S. Aug.* suscitando ei duo priora, & præconia sequentia: sic nec hi minuent, sed augebunt famam & studium eiusdem Doctrinæ. Vtinam, vt *Faustus* & *Gennadius*, teste *Baronio* ad annum Christi 496. 520. Sic & hi ad perfectiorem sensum Doctrinæ *S. Aug.* & veram vitæ Sanctitatẽ proficiant ac perueniant.

Præconium trium summorum Pontificum, ab anno 500. *ad* 600.

1. HORMISDA Papæ Epist. ad Possessorem To.n.4. Bibl.SS. *Quod vos de Fausti cuiusdam Galliæ Antistitis consuluisse litteris indicastis: hic sibi responsum habeant, neq; illum, neq; quenquam, quos in authoritatem Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ, ambiguitatem posse gignere, aut Religiosis posse præiudicium comparare. Fixa sunt à PP. quæ fideles sectari debeant instituta. Siue interpretatio, siue prædicatio, si cum fide recta & doctrina sana concordat, admittitur: si discordat, aboletur. Errat autem qui à via quam Patrum electio monstrauit, exorbitat. Nec tamen improbatur diligentia per multa discurrens; sed animus à veritate declinans.* Infra. *Non improuida Patrum veneranda Sapientia fideli posteritati quæ essent Catholica dogmata definiuit: certam librorum etiam veterum in authoritatem recipiendorum, S. Spiritu instituente, summam præscribens; ne opinioni suæ lector indulgens, non quod ædificationi Ecclesiasticæ conueniret, sed quod voluntas sua concepisset, assereret. Quid ergo calumniantibus opus extra constitutos Ecclesiæ terminos porrigere quæstionis? Cum Christiana fides Canonicis libris, & Synodalibus disciplinis, & Patrum Regularibus constitutis stabili & inconcusso tramite limitetur. De arbitrio tamen libero & gratia Dei, quid Romana .i. Catholica sequatur & seruet Ecclesia: licet ex varijs libris* B. AVG. *& maximè ad Hilarium & Prosperum abundè possit agnosci; tamen & in SCRINIIS ECCLESIASTICIS expressa capitula continentur, quæ si ibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus. Quanquam qui diligenter APOSTOLICA considerat, quid sequi debeat euidenter agnoscat. Ex quibus SCRINIIS seu DEPOSITIS apud S. SEDEM,* pauca illa capitula ab eadem sede etiam ad Concilium Arausicanum ante vel post transmissa fuerunt.

2. IOANNIS Papæ II. ad quosdam Senatores tom.4. Bibl. SS. citans S. Augustinum ante omnes alios SS. PP. S. AVGVSTINVS, inquit, *cuius doctrinam secundùm prædecessorum meorum statuta Romana sequitur & seruat Ecclesia.* Sub finem. *Leporius*, inquit, *In Epist. quam Aurelius Episc. Carthag. & B. Augustinus, & Synodus Africana firmauit.* Quo præconio nullum maius: quàm quod Romana Ecclesia secundùm prædecessorum suorum statuta sequatur & seruet doctrinam S. Aug. Quodq; tanti faciat Epistolam illam à S. Aug. firmatam.

3. S. GREGORII Magni Epist. 37. ex lib. 8. Regist. *Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. AVGVSTINI opuscula legite: & ad comparationem similaginis illius, nostrum furfurem non quæratis.* Quanta ergo quamq; pura est doctrina *S. Aug.* cùm tantus Papa suam propriã illi cõparet vt furfurẽ similagini?

Minores Præcones huius Chori & æui.

EX quibus *S. Fulgentius*, & *Petrus* Diaconus, vt fidelissimi *S. Augustini* subdiscipuli, reclamantes *Fausto*, *Cassiano*, & *Gennadio*, alternis Præconijs ab Oriente & Occidente triumphũ doctrinæ *S. Aug.* proclamarunt. Vt patet ex lib. 2. de prædestinatione & gratia. B. AVG *non solùm de Pelagianis Victoriam referens triumphauit: sed posteris certandi & vincendi ordinem ostendit, si quando victa prauitas recidiuo ausu infandum caput erigere niteretur.*

IOAN. *Maxentius* Monachus & Presbiter Græcus, quamuis in alijs quibusdam suspectus, inter Præcones S. AVGVSTINI censeri potest, in sua Responsione ad Epist. HOSMISDÆ Papæ: qua quidem videtur repugnare priori parti illius Epistolæ; sed pro parte posteriori & doctrina S. AVGVSTINI sic prosequitur. *Verumtamen quia eos libros quos B. AVG. ad Hilarium scripsit & Prosperum, in fine huius Epistolæ Romanam restatur suscipere Ecclesiam, & quid de gratia Dei & libero humano arbitrio eadem teneat & seruet Ecclesia, ex ipsis libris abundè posse sciri asserit: omittentes ea quæ superfluè & prolixè in ipsa digesta probantur Epistola, conueniens credidi aliqua tam de Fausti quàm de antedictis libris eiusdem S. Aug. certa capitula decerpere, & huic nostro Opusculo inserere; vt cum in breui collata ad inuicẽ contraria sibi reperta fuerint, euidenter clareat libros Fausti esse hæreticos, sicq; confundantur omnes qui eos hactenus defendunt Catholicos.* Quod doctissimè exequitur, ex collatione & oppositione inter doctrinam illam hæreticam *Fausti*, & catholicam S. AVGVSTINI

Aurelius Cassiodorus in Prologo super Psalmos. *Doctor eximius Beatissimus Aug. debellator hæreticorum, defensor fidelium, decurrit tanquam fons purissimus nulla fæce pollutus &c.*

ECHO

ECHO SEV RESONANTIA ET CONSONANTIA *totius Ecclesiæ Orientalis, cum tota Occidentali, in præconium Doctrinæ B. Augustini.*

AB anno 550. in 5. Synodo generali Constantinopoli, sub *Vigilio* Papa, & *Iustiniano* Imperatore, cùm ageretur de condemnandis libris *Theodori Mopsuesteni* Episcopi, *Theodoreti* Episcopi Cypri, & Epistola *Ibæ: Sextilianus* Ecclesiæ Africanæ Legatus, probauit authoritate *S. August.* & exemplo *S. Leonis*, illos post obitũ condemnari posse. Ex qua occasione, & tam celebri doctrinæ S. AVG. commemoratione potuit hoc totius Synodi Præconiùm doctrinæ S. AVG. resultare. *Sequimur per omnia S. Augustinum, & suscipimus omnia quæ de recta fide & condemnatione hæreticorum exposuit.* PER OMNIA, inquit, sine vlla exceptione. Nec restringit per sequentia: quia omnia sunt ad rectam fidem aliquo modo dirigentia. Quod quamuis tam expresѕè non referatur in actis scriptis & mutilis huius Synodi: satis tamen constat traditione, & testimonio publico sess. 7. Conc. Florentini. AVGVSTINVM *illustrissimũ latinorũ Doctorũ, Quinta Synodus consecrauit.* De quo ibi. Imò & ex professione *Ioannis Maxentij* Antiocheni in eadem vel ad eandem Synodum, de gratia Christi ex doctrina S. AVG. contra Theodorum illum Mopsuest. in 5. Synodo condemnatum, & ipsum *Pelagium*: Expressiùs autem in responsione ad Epist. *Hormisdæ* Papæ, supra.

Ab anno circiter 680. in 6. Synodo generali sub *Agathone* Papa & *Constantino Pogonato* Imper. Ab anno circiter 780. in 7. Synodo sub *Adriano I.* Papa, & alio *Constantino* ac *Irene* matre. Ex quibus, præclarus ille *Georgius Scholarius* inter Græcos Conc. Florentini, postea successor Patriarchę Constantinopolitani Florentię defuncti, in sua fidelissima Expositione Concil. Florent. cap. 1. sect. 8. Tomo 4. Bibliot. SS. PP. refert hæc præconia. *At quis fortasse dicet, nos huic .i. AVGVSTINO, adhærere non opus esse, neq; ipsius scripturas sequi: cùm Occidentalis sit Doctor, & latinus, &c. Ad quos RESP. Si Opera eius ab œcumenica Synodo comprobata non fuissent, bene se haberet quod dicis: sed quoniam œcumenica Synodus ea seruari iubet, idq; cum imprecationibus & Anathemate; non rectè dicis. Quod ita se res habeat, Audi, ex Actu 5. & œcumenicæ 6. Synodi.* [*CONSENTIT SANE IN OMNIBVS, SANCTIS PP. ET DOCTORIBVS SANCTÆ DEI ECCLESIÆ, ATHANASIO, HYLARIO, BASILIO, AVGVSTINO, &c. CVNCTAQ; EORVM SCRIPTA DE RECTA FIDE, ET AD HÆRETICORVM DAMNATIONEM, RECIPIMVS. Similiter & ex septima. REIICIENTIBVS SS. PATRVM SENTENTIAS PRO DOGMATIBVS DEI ECCLESIÆ CONSTITVENDIS PROMVLGATAS, ATHANASII, CYRILLI, AMBROSII, AMPHILOCHII, DIVINI LEONIS, AVGVSTINI &c. ANATHEMA. Audis vt anathemati subijcitur qui Augustini sententias non recipit? Non ergo imposterum ambigas, pro Sancto, & Doctore habere Augustinum, cuius gloria magna est in Ecclesia Dei.*

Præconia eiusdem, ab anno 600. *ad* 700.

1. CHorus integer Conc. Toletani 8. sub *Martino V.* reliquo orbi Christiano ex Hispania concinit. *Vir Sanctißimus AVGVSTINVS, inuestigationis, acumine cautus, inueniendi arte præcipuus, asserendi copia profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus, &c.*

2. *S. Isidorus* Episc. Hispalensis, hoc illi choro suo nationali præludium cecinit, lib. 6. Ethym. cap. 6. *Hieronymus 6000. librorum Origenis se legisse fatetur, &c. Horum tamen omnium studia* AVGVSTINVS *ingenio & scientia vicit.*

3. *S. Idelphonsus* Episcopus Toletanus, eidem choro suo hunc Tonum intonuit, Serm. 2. inter 12. de B. Virgine. *Audiant Augustinum, cui contradicere fas non est.* Quod ipsum est verè & propriè esse Irrefragabilem.

Præconia eiusdem, ab anno 700. *ad* 800.

EX ipsa magna Insula Britanniæ, per V. Bedam: non vna aliqua breui antiphona, aut versiculo; sed integro Officio, toto diuino .i. totius doctrinæ S. AVG. cum Apostolica collatione, & huius totius per illam solam verbatim expositione. De qua ita præfatur. *In Apostolum quæcumq; in opusculis S.* AVG. *exposita inueni, cuncta per ordinem in vnum colligens conscribere curaui.* Quo opere & seipsum

sum totius doctrinæ *S. Aug.* studiosissimum, & hunc perfectissimum Apostoli interpretem profitetur. Hinc Lib. de 6. ætat. mundi tribuit S. AVG. titulum *Doctoris eximij omnium Ecclesiarum.* Vtiq; post APOSTOLVM, DOCTOREM GENTIVM.

Post quem, *Albinus*, seu *Alcuinus* eius discipulus, vel eiusdem doctrinæ condiscipulus, ex hac ipsa fama à CAROLO MAGNO in rerum sacrarum consiliarium assūptus, totam eius aulam & Imperium eiusdem doctrinæ fama repleuit.

Præconia eiusdem, ab Anno 800. *ad* 900.

PEr ipsum *Carolum Magnum*, eiusdem doctrinæ tam studiosum & deuotum: vt teste *Paulo Æmilio* in eius vita, libros B. *Aug.* de Ciuitate Dei sibi ad mensam prælegi curaret. Ex qua ad mensam prælectione, totiusq; reliquæ doctrinæ studio familiari, & ingenio capacissimo, non solùm euasit rerum omnium sacrarum peritissimus: sed & politiæ ac militiæ Christianæ expertissimus, fœlicissimus, & victoriosissimus, teste *Baron.* ad annum Christi 778. Nam ex libris De Ciuit. Dei didicit quantùm veræ virtutis & religionis cultus prosit ad regnorum & imperiorum administrationem: Ex Epistolis ad varios politiæ Principes & militiæ Duces, quantùm principia Christianæ Religionis ad eundem finem obseruata prosint, violata noceant. Vt ex *Epist.* 5. ad Marcellinum, contra quosdam pseudo-politicos. *Si terrena ista Respub. præcepta Christiana custodiat: & ipsa bella sine beneuolentia non gerentur; vt ad pietatis, iustitiæq; pacatam societatem, victis faciliùs consulatur, &c. Misericorditer enim bella etiam gererentur à bonis: vt vitia perderentur, quæ iusto imperio, vel extirpari vel deprimi debuerunt. Nam si disciplina Christiana omnia bella culparet: hoc potiùs militibus consiliū salutis petentibus diceretur* Luc. 3. *Proinde qui doctrinam Christi aduersam fuisse dicunt Respub. dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites iussit; dent tales Reges, tales Iudices, &c. Et audeant dicere eam aduersam esse Reipub.* Epist. 205. ad *Bonifacium* Præfectum exercitus. *Noli existimare neminem Deo posse placere, qui in armis bellicis militat &c. Alij ergo pro vobis orando pugnant contra inuisibiles inimicos: vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles Barbaros &c. Hoc ergo primùm cogita quando armaris ad pugnam: quia virtus tua etiam corporalis donum Dei est. Sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Deū &c. Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas. Esto ergo in bellando pacificus.* Epist. 70. ad eundem, consilia, saluberrima contra abusus, excessus, & calamitates bellicas hodiernis simillimas. Lib. 22. contra Faust. cap. 74. *Quid culpatur in bello? An quia moriuntur quandoq; morituri, vt domētur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non Religiosorum.* Cap. 75. *Suscipiendi belli authoritas atq; consilium penes Principem est: exequendi autem iussa bellica ministerium, milites debent paci, salutiq; communi &c. Itaut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Sic & cap. 78. & quæst. 44. in Num. & 10. in Iosue & alibi sæpe. Vtinam Deus orbi Christiano restituat tales ALCVINOS & CAROLOS MAGNOS, Lectores, Auditores obseruantiores totius doctrinæ Augustinianæ, quam cuiusuis alterius politicæ vel militaris.

Inter Præcones huius sæculi censeantur etiam *Hincmarus*, & *Rabbanus*, sub NICOLAO I. Papa contra *Gotescalcum* Præsbiterū. Qui cū abuteretur doctrinā *S. Aug.* ad docendum & agendum à desperatis, quasi ex vi prædestinatiocis & reprobationis: ab Episcopo suo Rhemensi *Hincmaro* grauiter correctus, & à Synodo Mogūtina sub *Rabbano*, aliisq; Galliæ-Belgicæ, hæreseos condemnatus, ad carceres perpetuos relegatus est. In qua causa incomparabiliter plus fidei deferendū est his duobus Archiepiscopis & Synodis, quàm vllis Gotescalci excusationibus. Teste *Baronio* ad an. Christi 848. Vnde patet quòd quiuis excessus, defectus, aut recessus à vero sensu Ecclesiæ & S. AVG. solo auditu fidei discernatur: nec vnquam tolerandus; sed veri sensus præconio corrigendus & superandus sit.

HAYMO quoq; Episc. Halbestadiensis quondam *Alcuini* discipulus, in 2. Cor. 12. AVGVSTINVS *in elucidandis quæstionibus omnes Doctores post Apostolos præcellit.*

REMIGIVS Antisiodorensis in 2. Cor. *Sicut sol excedit omnes planetas: ita* AVG. *omnes Doctores.* In Psalm. *Sicut stellæ lumen à sole recipiunt: sic omnes Doctores ab* AVG.

AMBR. Ansbertus lib. 6. in Apoc. *B. Augustinus vt Doctor facundissimus, veniat in medium: de quo nullus dubitat fidelium.* Non quasi infallibiliter, sed irrefragabiliter.

QVamuis hoc obscuro sæculo nihil occurrat speciale apud *Baronium & Bellarm.* sufficiunt tamen priora & communia præconia, nulla contradictione interrupta; sed ipsis manuscriptis doctrinæ *S. Aug.* toto orbe propagatis & expositis continuata. Cùm enim laus ipsius Dei in Cœlo, non interrumpatur breui illo silentio quasi mediæ horæ *Apoc.8.* Nec laus *S. Aug.* silentio huius sæculi; sed velut quadam pausa & respiratione ad futurum sæculum transfertur.

Praconia ab anno 1000. *ad* 1100.

QVamuis sub finem 8. seculi, quidam *Ioannes Scotus, & Bertramus seu Retramus*, abusi essent doctrina *S Aug.* contra veritatem Sacrosanctæ Eucharistiæ: vt patet ex huius authographo, vel antiquissimo manuscripto in Bibliotheca Lobbiensi; videntur tamen hæc suppressa fuisse vsq; ad hoc sæculum 10. Quo *Berengarius* ex illa scintilla latente suam hæresim concepit: prout fassus est in *Conc. Vercellensi* sub *Leone IX.* an. 1050. Et in *Conc. Romano* sub *Nicolao II.* anno 1059. Qua hæresi, quasi doctrinæ *S. Aug.* imputata, nihil minuit de eius fama & fide publica: sed resuscitauit ex sæculo 8. *Paschasium Corbeiensem*, & suscitauit ex hoc sæculo *S. Fulbertum* Carnotensem, *Lanfrancum* Episc. Cantuariensem, *Guidmundum* Episc. Auersanum, *Durandum* Episc. Leodiensem, *Adelmannum* ex Scholastico Leod. Episc. Brixiensem, *Algerum* Scholasticum Leodiensem. Qui totam doctrinam *S. Aug.* ab illis calumnijs hæreticis vendicarunt, easq; etiam inde conuicerunt.

Cùm ergo tot & tanti ex Ecclesia Leodiensi doctrinam S. AVG. ab illa calumnia vendicauerint; non deerunt in eadem Ecclesia successores, qui eandem à similibus reuendicent.

Eodem sæculo S. ANSELMVS Archiepisc. Cantuar. celebrauit præconium doctrinæ S. AVG. De gratia & libero Arb. accenditq; & prætulit lectoribus eiusdem studiosis duos cereos modicos, sed lucidissimos. Alter prælucet libro de libero Arb. *cap. 1.* ad explicandam libertatem essentialem voluntatis, sine præiudicio libertatis contingentis. *Omnis volens*, inquit, *ipsum suum velle vult.* Infra. *Vt cùm mentitur, vult ipsum mentiri: sic cùm vult mentiri, vult ipsum suum velle.* Alter prælucet libro de concordia gratiæ & liberi Arb. *Vt in Baptismo dimittitur originalis iniustitia: ita omnis culpa impotentia.* Libro de conceptu Virginali. *Impotentia habendi iustitiam excusat post Baptismum.* Qui cereoli sunt tam lucidi: vt illuminent B. AVG. penetralia, quæ aliquibus videntur tam obscura.

Praconia ab anno 1100. *ad* 1200.

QVæ *Rupertus Tuitiensis l.7. de Operibus Spiritus S. c.19.* suo sæculo sic intonat. *Iste est Augustinus, columna & firmamentum veritatis: & verè columna nubis, in qua thronum suum posuit sapientia Dei.* Non præ, aut æquè ac ipsa vera Christi Ecclesia, in ipsa fide: sed in ea contra hæreses & errores sustinendâ ac propugnandâ.

Cuius præconij tonum ipse *S. Bernardus* obseruat *Serm. 80.* super Cant. *S. Augustinus est validissimus malleus hæreticorum.* Quo cum omnes hæreses huc vsq; contusæ sint, nihilq; inde retusus sit: quinam vllum alium leuiorem præeligant, nisi qui hoc grauiori vti nesciunt? *Epist. 77.* Ab his duabus columnis, *Augustino*, & *Hieronymo*, crede mihi, difficile auellor: cũ his me aut errare aut sapere fateor.

Idem, non sola verborum, sed & sensus *S. Aug.* imitatione, tam in dogmaticis, vt *lib. de gratia & libero Arb.* quàm in Moralibus & Anagogicis, *lib. de diligendo Deo, Epist. ad Fratres de monte Dei, & varijs serm. in Cant.* Qui duo Testes irrefragabiles, sufficient pro toto suo sæculo.

Praconia ab anno 1200. *ad* 1400.

EX omnibus Theologis Scholasticis, qui his duobus sæculis floruerunt: & velut apes ex tota doctrina B. AVG. sugendo, suaq; inde aluearia & fauos melle vel cera, sine vllis excrementis, condiendo, illam totam plurimum celebrarunt. Tantum enim abest vt quicquam inde exceperint, seu censurauerint: quin se inuicem potius excusauerint, & nonnisi cum aliqua honoris præfatione ab aliorum opinione dissenserint. Cuius modestiæ exemplum præbuit *Hugo à S. Victore* in Epist. ad Gal. Quæst. 6. *Salua*, inquit, *reuerentia secretorum, B. AVG. sententiam præferimus sententiæ B. Hieronymi.*

F. ALEXANDER Alensis, Doctor irrefragabilis, *Parte 1. quæst. 21. m.5. a.3.* & alibi sæpe. *Nihil*, inquit, *temerè asserendo, cum omni modestia &c.* q. 68. *Non est credibile tam peritos viros hæresim sensisse.* P.2.q.91.m.1.a.2. *Videtur*, inquit, *insipientiæ meæ.* P.3.q.2.m.3. *Si quis intelligat, ego nõ intelligo.*

Quàm reuerenter *S. Bonau.* in 2. dist. 23. a.2. q.2. de *F. Alexandro* ab Ales, *Patre*, inquit, *& Magistro nostro.* Quantò plus de S. AVG? Quàm modestè *F. Ioannes Scotus* in 1. dist. 11. q.1. *Si forte duo Sapientes, vnus Græcus, alter Latinus &c.* In 3. d.3. q.1. *Quod horum factum sit, Deus nouit &c.* Et sic plærique, excepto vno vel altero nimis temerario: qualis fuit *Durandus* præferens suas rationes ipsi AVG. PRÆFAT. IN 1. SENT. A quo fortè recentiores didicerunt nimiam censurandi libertatem.

Sed meritò corrigitur à *S. Vincentio Ferrerio*, serm. de *S. Augusti.* hoc incomparabili præconio. *Audeo dicere, omnes Doctores qui venerunt post S. Aug. sustentantur super eius doctrina sine errore: & quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere vnam authoritatem S. Aug.*

Cùm ergo ipse *S. Thomas* omnem suam doctrinam sugat, fundet, & confirmet ex S. AVG. qua impudentiâ potest ei præferri? Quod enim ex ipsius Christi oraculo refertur, *Bene scripsisti de me Thoma*; non infert quod *optimè*, vel *melius* ipso *Aug.* nec quod *bene* de eius matre, & omnibus alijs.

Si autem *Innoc. VI. & Clemens VIII.* prætulit eius doctrinam *omnibus, excepta canonica, & sine vllo errore.* PRÆ OMNIBVS, &c. i. Quoad aliquem modum ibi expressum: vt dici solet de singulis Sanctis, *Non est inuentus similis illi.* SINE VLLO AVTEM ERRORE .i. fidei, vel prorsus improbabili.

2. Ex Ordinibus Religiosis hoc vtroq; sæculo institutis, vel renouatis, & reformatis: plerisq; sub Regula seu vexillo vitæ & doctrinæ S. AVG. per totum orbem Christianum.

Præconia ab anno 1400. *ad* 1500.

1. EX ipsis hæreticis *VVicleffistis* & *Hussitis*, nomine & litterâ *S. Aug.* contra verum eius spiritum seu sensū abutentibus: à *Conc.* generali *Constantiensi*, salua semper tota doctrina *S. Aug.* damnatis.

2. Ex *Conc* generalissimo *Florentino*, sub *Eugenio IV.* pro vnione Græcorum cum Latinis: magna authoritate doctrinæ *S. Aug.* Vt patet ex illo Elogio *sess. 7. AVGVSTINVM illustrissimum Doctorum Latinorum 5. Synodus consecrauit* .i. Quo ad ipsam Doctrinam, sine vlla exceptione. Cum ergo sit consecrata: quis eam præsumat vlla censura sacrilega violare?

Præconia ab anno 1500. *ad* 1655.

1. EX ipsis hæreticis, Lutheranis, Caluinistis &c. de doctrina *S. Aug.* palam gloriantibus, & litterâ eius mutila abutentibus: sed à Sacro *Conc. Trid.* ex eius littera integra, & vero spiritu seu sensu, sess. 5. 6. proprijs verbis ipsius *S. Aug.* condemnatis.

2. Ex 76. propositionibus *Baianis*, Doctrinæ *S. Aug.* imputatis: sed studio Franciscanorum Prouinciæ Flandriæ, à S. D. N. Pio V. & Gregorio XIII. grauiter censuratis, & ab illa studiosè discretis. Vt patet ex hac 52. *Definitiua hac sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cum sit Pelagij.*

3. Ex solemni illa consultatione coram *Clemente Papa VIII.* de auxilijs gratiæ Dei: ex Doctrina, & quasi arbitrio solius *S. Augustini.*

4. A tribus celeberrimis Ecclesiæ Cardinalibus. BARONIO in Append. Tom. 20 pag 965. edit. Plant. *Sedes Apostolica professa est se probare sententiam B. Aug. de gratia & lib. Arb. adeo vt eius authoritas & doctrina nunc lædi & vlla ex parte impugnari ac reprehendi non possit, sine manifesto viginti & amplius summorum Pontificum contemptu, & sine singulari S. Sedis Apostolicæ iniuria.*

PERONIO, qui contra Regem Britanniæ vocat *B. Aug maximum post Apostolos Doctorem Prædestinationis & gratiæ, ac os & linguam veteris Ecclesiæ.*

BELLARM. lib. 2. de gratia & lib. Arb. c. 12. *Gelasius in Conc. 70 Episcop. non solùm probauit omnia scripta S. Aug. & S. Prosperi: sed etiam contra damnauit libellos Ioannis Cassiani & Fausti Regiensis &c. Itaq; Sedes Apostolica non tantùm semel, sed & secundò & tertiò aduersus Pelagianorum reliquias pro defensoribus gratiæ & Prædestinationis sententiam tulit; vt iam hæc sententia non Doctoris Opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat.*

5. A tribus primarijs Theologis Soc. IESV. *Bellarmino* supra.

R. P. Suarez Prologo 6. cap. 6. De gratia. *Apostolica Sedes* S. Aug. *Doctrinam de gratia, in his quæ ad dogmata pertinent, suam effecit &c. Hinc quidquid* Aug. *de gratia docet, quod cum illis Ecclesiæ definitionibus est necessariò connexum, omnino sequendum, & tanquam certum tenendum est; quia totum illud, licet non expressè, virtute est ab Ecclesia probatum. Addimus, quidquid in hac materia* S. Aug. *vt certum affirmat, & ad dogmata Fidei pertinens, à quolibet prudente, & erudito Theologo esse tenendū, ac defendendum; etiamsi non certò constet esse ab Ecclesia definitum. Tum quia, cum Ecclesia in hac materia, tantum detulerit* Augustino, *magna esset temeritas priuati Doctoris ei contradicere &c. Tum quia nihil tam admirandum, & suspiciendum Ecclesiæ reddit* Augustinum, *quàm Doctrina de gratia. At si in ea explicanda aliquando fuisset in errorem lapsus: immeritò Ecclesia tam fidenter Iudicium eius in hac doctrina fuisset secuta. Quod impium esset cogitare. Vnde concludo, non tantùm in rebus quas* Aug. *certas existimat: sed etiam in omnibus quæ tanquam stabiliora constanter, & vbiq; amplectitur, sententiam eius esse præferendam, nisi communis Patrum, & Ecclesiæ authoritas obstare videatur. Quod rarò vel nunquam continget. R. P. Vasquez in 1. p. disp. 89. c. 1. Multò meliùs est cum* Aug. *quàm cum alijs sentire: qui in materia de gratia & prædest. inter cæteros Patres, non aliter quàm sol inter minora sydera præfulget.* Cap. 4. *In hac materia vnus pro multis mihi erit semper* Aug. Disp. 91. c. 9. *Quid mirum si Patres Græci, qui cum Pelagio parùm disputarunt, non tam exactè senserint de gratia sicut* Aug.

6. Ex omnibus controuersiis fidei hoc sæculo cum hæreticis, præcipuè ex Doctrina *S. Aug.* Vt patet ex præclara *Confessione Augustiniana P. Hieronymi Torres* Soc. IESV: Contra *Confessionem Augustanam*; & ex peritissimis ac expertissimis harum Controuersiarum. Vnde mirùm est aliquos minùs peritos ac expertos, de his ipsis armis tā victoriosis plus diffidere, quàm de ipsa sacra Scriptura, qua hæretici æq; abutuntur, vixq; hac sine illa vti possumus.

7. Ex nouissima & famosissima contentione inter Catholicos, de vero sensu Doctrinæ *S. Aug.* tandem à S. D. N. INNOC. X. resoluta, contra 5. Prop. condemnatas, sub inhibitione NE VLLVM INDE PRÆIVDICIVM INFERATVR DOCTRINÆ S. AVG. ET GRATIÆ EFFICACI. Quæ est expressa eius MANVTENTIO in sua fama & fide publica Doctrinæ irrefragabilis. Vt constat hac ipsa fide publica, & hoc speciali testimonio seu responso R. P. LVCÆ WADINGI Franciscani, vnius ex Consultoribus desuper, ad quendam sui Ordinis in Belgio. *De Propositionibus iam actum est. Absolutè namq; condemnatæ sunt: nulla facta mentione Doctrinæ S. Aug.* QVIPPE CVI IN NVLLO PRÆIVDICATVM VOLVIT SVA BEATITVDO NEQVE GRATIÆ EFFICACI. Ergo quicumq; malunt hanc Sacram Constit. Papæ, cum Doctrina *S. Aug.* collidere, quàm hanc illi componere & supponere: vtriusq; præuaricatores sunt.

8. Ex tam rigidis censuris ipsius INDICIS Hispanici, in plerosq; Authores: non tamen in vllam doctrinam S. AVG. sed in solos eius corruptores. Ergo nihil ex ea censurari potest.

9. Ex more communi ab immemorabili prædicandi etiam ex Cathedra verbi Dei, per totam Ecclesiam, & liberè edendi libros *S. Aug.* & plurimos alios in laudem vitæ & Doctrinæ eius: absq; vlla contradictione, exceptione, aut difficultate facultatis ordinariæ; sed cum plausu & applausu totius Cleri ac populi. Vt patet ex tot editionibus omnium simul Operum *S. Aug.* Basileæ, Parisijs, & nouissimè Antuerpiæ, ex priuilegio Regio, & studio ac cura Theologorum Louaniensium; & ex eiusdem plurimis opusculis seorsim vbiq; & in Belgio editis cum eodem Priuilegio Regio, plurimisq; alijs in laudē eius. Vt de vita & doctrina *S. Aug.* Per R. P. *Cornelium Lanselottum S. Theol. Doct. Exprouincialem Augustinanorum, Antuerpiæ 1616.* De vita & doctrina eiusdem, per R. P. *Ioannem Riuium S. Theol. Doctorem, & eorundem Augustinianorum Prouincialem, Antuerpiæ 1646.* De veritate SacroSanctæ Eucharistiæ: per R. P. Priorem Conuentus eorundem Augustinianorum Leodij. Quos inter plurimos studiosè recenseo: Alios autem mecum inuito ad sequens Offertorium.

AD OFFERTORIVM.

PRosequendo hanc comparationem cum CHORO integro & continuo OFFICIO DIVINO: cuius finis est Sacrosanctum EVCHARISTIÆ Sacrificium: procedamus ad OFFERTORIVM singulorum præconiorum; supplendo ex *Synodo 6. Act. 4.* B. AVG. *Prædicator veritatis prudentissimus &c.* Contra prætensum eius impetum, seu excessum in hæreticos. Ex *Breuiario Romano*, eiusq; tam solemni approbatione à Summis PONTIF. vsuq; totius Ecclesiæ, *Lect. 5.* pro Festo S. AMBR. *Ecclesia lumen S. AVG. JESV CHRISTO peperit.* Contra omnes exprobratores obscuritatis. *Lect. 6*, pro Festo S. AVG. *Tam multa piè, subtiliter, & copiosè scripsit: vt Christianam doctrinam maximè illustrarit. Quem secuti sunt qui postea Theologicam disciplinam via & ratione tradiderunt.* Ex historicis fide dignis, Omnia eius opera manuscripta, singulari Dei Prouidentia, ab incendio & excidio hypponensi præseruata. Vtinam & ab omni scintilla inuidiæ, & maledicentiæ. Quibus omnibus ad altare oblatis: liceat & mihi omnium præconum Minori, offerre studia & vigilias 40. annorum, in Commentandis & conciliandis omnibus S. AVG. Operibus, cum fide & doctrina S. Ecclesiæ, iisdemq; ordine scholastico conferendis per libros 4. *Sent.* contra solas hæreses & errores ab Ecclesia censuratos: nunquam autem contra vllam opinionem liberam; semper sequendo *JESVM inter Doctores, seu veritatem mediam inter contendentes.* Quibus omnibus amicus & obsequiosus vsq; ad ARAS fidei & doctrinæ S. AVG. non possum quin prosequendo IESVM nostrum seu veritatem mediam inter Doctores, vtrimq; moneam si quos adhuc secretos opponentes doctrinam S. AVG. sacris Censuris PII V. GREGORII XIII. VRBANI VIII. INNOC. X. Sed potiùs palam detorquentes has censuras in ipsam doctrinam *S. Aug.* quasi solo eius nomine ex reuerentia dissimulato; eiq; verbis & scriptis publicis exprobrantes multos & graues errores, imò & hæreses, suas quidem materiales, alienas autem pertinaces, quasi ex doctrina eius conceptas, singulariter contra veritatem Eucharistiæ, liberi Arb. & gratiæ Dei. A quibus omnibus calumnijs & calumniandi ac aberrandi occasionibus, confido & sustineo me per Dei gratiam totam doctrinam *S. Aug.* vendicasse. Sed quia nostra interpretatio & conciliatio videtur quibusdam nimis obscura, & plerisq; inutilis: etsi tribui possit tantorum Operum breuitati & parcitati; vt tamen constet potiùs tribuendum esse doctrinæ difficultati, plerorumq; ingeniorum nimiæ mediocritati, & quorundam Lectorum negligentiæ, impatientiæ, vel præuentæ opinioni ac affectari, Eligamus & Offeramus inde specimen vnici CEREOLI lucidissimi, ex paucis verbis doctrinæ *S. Aug.* ad illustrandum totum hunc Chorum & Altare, hæcq; profundissima penetralia doctrinæ *S. Aug.* de Eucharistia, in *Psal. 98. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, neq; hunc sanguinem bibituri, &c.*

Quibus, sed priùs & potiùs illis Christi *Joan. 6. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, omnes hæretici abusi sunt & abutuntur, contra veram & realē præsentiam Christi in Eucharistia: Omnes autem Theologi Catholici hoc obscurùm variè elucidant; sed omnium lucidissimè ipsemet *S. Aug. Tract. 96. in Joan.* his tribus verbis: NON HVNC CHRISTVM .i. NON TALEM ERANT VISVRI APOSTOLI,

APOSTOLI. Sicq; NON HOC CORPVS .i. NON TALE. Quod fusè explicatur & applicatur *Tomo 2. nostræ Anat. col.1042. 1043.1103. & in 4. Sent. à col.323.ad 326. à col.387. ad 400.* Quæ si quibus obscura videntur: non nobis, sed sibiipsis imputent. Ne quid tamen vlli ad piam fidem & famam doctrinæ S.AVG. desit: coofferamus eis ex nostris illis breuioribus & obscurioribus, hæc omnibus, saltem latinæ linguæ peritis, satis lucida præconia.

Ex Præfatione in Tomum I. nostræ Anatomiæ.

QVod *Apostolus* inter scriptores Canonicos, hoc *S. Aug.* inter Ecclesiasticos. Nam sicut in illius, ita & in huius scriptis, sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, *2.Pet.3.* Doctos autem & stabiles, seu orthodoxos interpretes; seueriores, & leniores inter se colldiere; illosq; in fauorem sui Luheranismi & Caluinismi; hos autem in fauorem Pelagianismi aut Semipelagianismi detorquere conantur. Vnde & pleriq; vano quodam difficultatum ac periculi timore ab augustissima B.AVG. doctrina declinant. Nobis, nec licet, nec libet dissidijs intestinis, quasi geminorum illorum colluctatione, intrà viscera matris Ecclesiæ, gratum hostibus spectaculum exhibere: sed totam B. AVG. doctrinam ab errore, omnesq; eius Catholicos interpretes ab illa hæreticæ prauitatis calumnia vendicare; & quadam doctrinæ breuitate, facilitate, ac securitate, ad eius studium, ac saluberrimas delicias, earum prælibatione, quam plurimos inuitare.

Itaq; bonâ omnium veniâ & gratiâ, qui ex huius doctrinæ messe, & quasi antiqua illa aurifodina, horreum & thesauros Ecclesiæ repleuerunt, imò totam inde Ecclesiam inaurarunt: liceat nobis more, & iure pauperum, *Deuter.24. Ruth. 2.* post eorum vestigia quasi residuas spicas vel vuas relegere, & si quas fortè glebas, aut saltem arenulas aureas sub hac breuiori S.AVG. forma conflatas, recudere. Vt sicut *Apostolus* omnibus omnia factus, *1. Cor.9.* ita & S.AVG. saluâ suâ maiestate nobis etiam Minoribus minor fiat. Ne autem toties ab alijs actum agere frustrà videamur: suspicimus quidem & veneramur selectas à *B. Prospero* sententias, contextam à *V.Bedâ* ex S.AVG. Apostoli interpretationem, *Milleloquium* à *P. Bartholomeo* vrbinate ordine alphabetico digestum, confessionem fidei Augustinianam à *P.Hieronymo Torrensi* Augustanæ oppositam, & quorumuis aliorum labores ac compendia, ordine memoriæ vel doctrinæ: sed quia illa omnia constant ex præcisis hinc inde sententijs, quæ hac præcisione velut eneruatæ ac emortuæ, nec formam proprij Authoris referunt, nec pleno eius spiritu respirant: hinc quamuis protracto in Tom.2. pleniori spiritu, sicuti tamen corpora animanda suis prius omnibus organis sub integrâ membrorum compage construuntur, ita & nos totam B.AVG. literam, ad concipiendum & anhelandũ eius spiritum sub hac forma cõponimus, &c.

Ex Dedicatoria Tomi 2. S.D.N. INNOC. X.

CVius nominis INNOC.I. tot & tam doctis ad Concilia Africana, & præ omnibus ad ipsum *B. Aug.* Epistolis, velut oraculis, eius doctrinam primus cõsecrauit; & sub cuius nominis *Innocentio III.* Sacra Minorum Religio exorta est? Huic ergo Decimo, has quasi Decimas eiusdem doctrinæ debitas fideliter persoluimus: sub cuius nominis fœlici omine tot orbe seminetur ac fœliciter germinet. *Infra.* Qui vt & reliquos omnes præcedat & excedat: pro sui nominis *Innocentia*, in quoddam Christianæ pacis præludium, ipsas etiam dissensiones Scholasticas circa doctrinam *B. Aug.* suauiter componat, & resultantes inde calumnias hæreticas nostræ ab ea defectionis ad opiniones nouitias, opposita veritate ac æquitate conuincat; declarando Ecclesiam suis suorumq; censuris in quasdam Propositiones ex textu *B. Aug.* laceras, nihil derogasse, sed doctrinæ integritati ac veritati prouidisse; eidemq; decernendo authoritatem irrefragabilem & publicam eius interpretationem, ac professionem in omnibus Scholis Catholicis; ne quo non vsu, quasi antiqua semita syluescat, & nouitia trita subrepat. Plurimùm enim interest Ecclesiæ, vt cuius solius Patris doctrina apud plerosq; etiam aduersarios est in confesso, tota apud nos sit in professo; ne qua vel minima muti-

latione seu correctione vires eius pro nobis in ipsos, eneruemus. Quamuis enim graues quædam contentiones inter ipsosDoctores Catholicos desuper exortæ sint: non tamen ex vllo huius doctrinæ periculo, sed ex singulari Dei prouidentia, tum ad stimulandos animos in eius studium nimis remissum ac sospitum, tum ad experiendum ac conuincendum necessarium aliquem primatum moderandis & terminandis in Ecclesia controuersijs. Quod si qui hæretica prauitate hanc sicut & sacræScripturæ doctrinam ad suos errores detorqueant,seipsos potiùs inde iugulāt, & hoc opusculo quadam in eos retorsione iugulantur.

Quod quidem velut pontem aut viam publicam per omnia & singula *B. Aug.* opera nouo studio ac labore sternimus, & varijs hominum iudicijs conculcandam exponimus: vt hâc ipsâ couculcatione planior, latior, & correctior euadat: sacris autem pedibus suæ sanctitatis velut in scabellum substernimus ac prosternimus; siue his ipsis etiam meritò conculcandum & despiciendum vt indignum; siue præ merito gratiosè excipiendum, vt inde etiam Ecclesiæ prospiciatur. Præstat enim sub his pedibus humiliter procumbere,& patienter calcari: quam rabie canina ac serpentina calcantem plantam herilem ac maternam frustra mordere, qua primi illius serpentis caput conteritur. Sed absit ab *Innocentio*,absit ab Ecclesia Matre hæc suorum filiorum & quidem Minorum conculcatio: quæ instar Gallinæ inter pullos suos suspenso ac cauto passu graditur, ne cui vel minimùm calcādo noceat. Quod si quem fortè in tanta sua sollicitudine,tanto sub alas eius & ad pastum concursu, vel rostro petat, vel vngue premat, vel ab alis excludat : absit omnis ab ea defectio, degeneratio, & in prædam miluorum auolatio;sed potiùs pro ea ad mortem vsq; agonizatio. Nam si quos fortè tales mater minùs discernat : hos coronat in occulto Pater, in occulto videns &c. *Ex Aug. lib. de vera Relig. cap.6.*

EX PRÆFATIONE APOLOGETICA
PRO CONSENSV TOTIVS ECCLESIÆ, ac omnium Theologorum Catholicorum, in doctrinam B. Augustini : contra calumnias Hæreticas, & Censuras Erasmianas.

QVamuis indictum in Ecclesia Dei silentium ab acerbis illis circa doctrinā B.AVG. contentionibus, syncerè ac religiosè obseruandum sit : non tamen superstitiosè, vt Sabbatum illud Iudæorum, *1. Mach. 2.* sed vt solet inhibitio duellorum inter commilitones, salua exercitio ludicro, & vsu serio ac necessario armorum in hostes. Cùm igitur ad Ecclesiæ propugnacula particulam aliquàm excubiarum agam, auditâ non tantum procul illâ prouocatione Caluinianâ, lib.3. instit. cap.3. & lib.4. cap.14. *Ad vnicum Augustinum, pro sensu Catholico totiùs antiquitatis*; sed iam etiam expertâ sequacium & decipulorum eius nouâ, eaq; duplici recriminatione, nouitatis, ac dissensionis, in Ecclesiam Romanam; quasi hæc suis suorumq; Inquisitorum censuris in expressas B.AVG.sententias,deficiat à sensu antiquitatis ad opiniones nouitias, & ab vnitate doctrinæ ad dissensiones & sectas : contra has calumnias hæreticas non possum quin hoc opusculo fideliter in solos hostes explodam quicquid ab annis circiter 30. ex doctrinæ Augustinianæ armamentario, studioso priùs tyrocinio, deinde acriori cùm hostibus exercitio congessi; & quasi signo militari edito, ad arma conclamem, hac ipsa B.AVG. non monitione, sed professione ac protestatione,l.5. contra Faustum.cap.3.

Te vera Sponsa veri Christi alloquar & ego pro modulo meo. Caue semper,vt caues, ab omni doctrinæ, imò & verborum nouitate. Ne corrumpat *antiquum fidei tuæ decorem, tanquam Sara anicula pulcherrimam castitatem. 3. contra Iul.17.* Memento te esse matronam antiqua Maiestate venerabilem, ac amabilem : non Dinam aliquam puellari vanitate ac curiositate corruptibilem.

Caue semper vt caues, ne antiqua tua & pretiosa monilia commutes in nouitias

quis-

quisquilias, & crepundia puellaria. *Caue* non tantùm à fucis meretricijs errorum: sed etiam ab omni modo nouitio vestium, seu opinionum, quasi humaniorum, & rationabiliorum: cùm non agatur de humana, sed Diuina illa, & monarchica æquitate, sapientia, ac maiestate; quam ipsi Principes in suis edictis affectant, *Parce qu'ainsi nous plaist*: in laudem gloriæ gratiæ diuinæ, *ad Ephesios 1.* non rationis ac libertatis humanæ. *Caue semper vt caues*, seu prouides synceritati, ac integritati doctrinæ, non tantum Canonicæ, sed & Augustinianæ, iam ab *Innocentio I.* vsq; ad X. à tot Summis Pontificibus, ac sacris Concilijs consecratæ, & quasi canonizatæ, seu verbatim in Canones fidei assumptæ & resumptæ. Vt patet ex nostris ad Tomum 1. præludijs: eminentiùs autem ex illa præclara coronide, qua sacrum Conc. Tridentinum totam suam Doctrinam de Gratia & iustificatione succingit ac verbatim resoluit in illam augustissimam, ac Augustinianissimam sententiam, ex Epistola Cœlestini Papæ *cap. 11. Absit tamen*: vtiq; ex tota sua doctrina, *vt Christianus homo in seipso confidat, vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

Caue semper, inquam, *vt caues*, seu prouides, & quidem his ipsis tuis tuorumq; Inquisitorum censuris: non in expressas ac integras B. Avg. sententias, earumue sensum ac intentionem Catholicam; sed in truncas, mutilas, laceras, & abusu hæretico deprauatas, vel potiùs in earum truncatores ac deprauatores: ne inde sectarij quasi resarcitis suis veteramentis, sub quadam B. Avg. larua, vel consono symbolo fidelibus illudant. De quibus singulis in processu huius operis.

Ad alteram calumniam & recriminationem dissensionis inter Theologos Catholicos, quasi pro & contra doctrinam B. Avg. Non est hîc Author dissentionis sed pacis. Est enim velut Arca fœderis, seu confœderationis: cui progredienti omnes certatim acclamant illud Elisæi ad Eliam. *4. Reg. 2. Pater mi, Pater mi, Currus Israel & auriga eius!* Currus vtiq; velut ruralis, & velut triumphalis. Ruralis quidẽ, qui sub aggere messis, seu pondere doctrinæ quasi grauidus & tremulus, ita à præeunte auriga B. Avg. in Ecclesiæ horreum inuehitur; vt à contendẽtibus hinc inde Theologis, velut messoribus, oppositis furcis non euertatur, sed in quodam æquilibrio per suam orbitam rectâ dirigatur ac promoueatur.

Triumphalis verò, quem vndiq; Theologi Catholici honorarijs acclamationibus ad æmulationem comitantur, circa quem digladiationes & hastiludia honoraria exercentur: ad cuius ingressum & fœlicem progressum totum Ecclesiæ armamentarium exponitur ac profunditur, & vtrimq; quasi per series militum oppositas, non hostiliter, sed honorariè exploditur.

Audiunt Philistini nostri, vt *1. Reg. 4.* & peiori, sed feliciori nobis omine interpretantur, gestiunt, exultant: quasi de intestina inter nos seditione, & quorundam ex nobis ad ipsos, aliorum ad Pelagianos defectione. Sed si vel minimum in Ecclesiam insultum fecerint: experientur hanc non esse inter nos seditionem aut dissensionem, sed tantùm armorum in ipsos lustrationem, & exercitationem: non gladijs acutis, sed retusis; non glandibus solidis, sed vel solo puluere seu crepitu verborum, vel solius chartæ seu liberiorum ac innoxiarum opinionum explosione. Non contra illam Apostoli monitionem *2. Tim. 2.* non contendendi verbis, seu pro verbis nostris proprijs: sed secundum illam, *1. Tim. 6.* cauendi omnem verborum sacrorum nouitatem, tenaciter inhærendo eorum antiquitati; & secundum illam, *1. Pet. 3.* præparandi ac reddendi certatim rationes probabiliores nostræ fidei.

Nec obstant quorundam inter se quasi criminationes & recriminationes hæresum oppositarum: non enim sunt seriæ accusationes, sed tantùm prouidæ & cautæ monitiones, præmonitiones, ac inclamationes contra hæreses oppositas, earumq; vel minima pericula. Quamuis autem Philistini nostri glorientur, & palam ostentent hanc quasi nobis ereptam fœderis Arcam, vt *1. Reg. 5.* inde tamen seu ex huius lectione ac collatione, eorum Dagon, seu idolum propriæ hæreseos truncatur, ac prosternitur; inde in secretis ac pudendis conscientiæ suæ torquentur seu conuincunt, & tandem coguntur nobis eam cedere, ac cum honore restituere.

Quam de Philistinis victricem ac triumphantem omnes Theologi Catholici suspi-

suspiciunt, & ambitiosè excipiunt: omnes eam sibi conciliare nituntur, omnes ei innituntur. Solus Oza præsumptuosam ei manum ad sustentationem, quasi ad quandam *B. Aug.* correctionem, admouens in publico triumpho vltionem diuinam experitur. Quod si qui fortè hunc triumphalem currum inuiti sequantur: quasi in triumphum captiui trahuntur, & raptantur. Si qui hunc publicum applausum minùs libenter audiant: velint, nolint, conclamare coguntur. Si qui hanc doctrinam ad aliorum Sanctorum Patrum & Doctorum æqualitatem deprimere conantur: seipsos apud peritos collatores imperitiæ conuincunt. Si qui periti, huius doctrinæ authoritatem subterfugiant: nonnisi à desperatis agunt, seu ex causæ propriæ diffidentiâ, ac desperatione, à tam æquo & sapiente Iudice declinant, à tam irrefragabili teste excipiunt. Quod si qui ita desipiant, vt seipsos huic præferre, aut conferre gestiant: apud omnes peritos opprobrium ac ludibrium insanæ mentis merentur. Quicumq; autem vel minimùm sapiunt: nonnisi huius doctrinæ participatione sapiunt; & quantumcumq; in eâ proficiant, semper eam supra se excessu incomparabili suspiciunt. Sed qui seipsos vsq; ad despectum, vel prospectũ supra vel vltra hoc Astrum extollunt; vertigine Luciferiana laborãt & periclitãtur.

Ex Indice expurgatorio Belgico & Hispanico, à col. 1. ad 9. *Contra Literiones Erasmianos.*

1. Reproducimus censuras horum Indicum: non in vllam B. Avg. sententiam, vt calumniantur hæretici, supra; sed in sciolos illos Literiones, Erasmum & Erasmianos, qui suis in ipsam dictionem & opera B. Avg. censuris, suis præfationibus inuectiuis, suis notis sed nothis, suis deniq; truncis Indicibus à vera mente B. Avg. alienis ac seducibus, hæreticis ipsis præluserunt aut colluserunt. De quibus tantum meruerunt, vt & Argentorati 1609. Indicem Belgicum, & Geneuæ 1619. Indicem Hispanicum expurgatorium illarum sordium recuderint; in censuratorum patrocinium, & Censorum Catholicorum opprobrium: quasi ipsam doctrinam Augustinianam censurassent, ideoq; eorum censuræ supprimerentur; cùm potiùs parce publicentur, nè hinc errores ipsi seminentur. Quis enim ferat Literiones illos solis verborum crepundijs tumidos, de dictione ac doctrina B. Avg. inter se decernentes? Quis ferat rhamnos illos solis spinis, ac aculeis satyricis gloriosos, supra cedros Lybani regnare præsumentes? Quis ferat vana illa cymbala, præ maioribus Ecclesiæ campanis tinnientia? Quis ferat siccos illos & steriles torrentes, inter silices suos strepentes, de hac sua strepente dictione quasi clariore gloriantes, præ dictione Augustiniana, tanquam obscura & inuoluta? Quid enim mirum torrentes illos vsq; ad silices transparere? Quid mirum magnos illos, piscosos, ac nauigabiles, & mercibus grauidos omnes, suá profunditate & nauigandi opportunitate sinuosos, ac obscuriores videri? Pretiosiora quæq; meritò inuoluuntur: viliora autem, nè suis quidem digna sunt inuolucris. De quâ B. Avg. dictione, rebus, personis, ac tempori accomodata, eiusq; idiotismis, ad singulas occasiones in processu huius operis.

Ex Absolutione finali huius Operis à Censura 2.

Qvòd huius Operis dictio non sit satis clara, diaphana, ac fluida: sed nimis breuis, obscura, densa, confusa, quasi ex nimia verborum ac chartæ parcitate.

Resp. Ex obiecto & fine huius Operis. Cùm enim sit in omnia & singula *B. Aug.* Opera: non potest ea nisi stringere ac perstringere. Et cum versetur circa difficiliora concilianda: non dirigitur ad imperitos, quibus nec vlla prolixa dictio sufficeret; sed ad doctiores, non tam docendos, quàm consulendos; quibus pauca placent, & plura superfluunt. Nam sicuti quò oculi lucidiores, eò minùs indigent obiecto lucido: ita & quò ingenia lucidiora, eò minùs indigent luce obiectiua rerum aut verborum, sed exse satis lucis affundunt suis obiectis.

Ex Epilogo ad Lectores.

Hoc opus quod sub eius præfatione vt viam publicam omnium pedibus, sed præcipuè S. Ecclesiæ conculcandam exposui; vt hac ipsa conculcatione planior, latior, rectior & correctior euadat: tandem eiusdem etiam manibus absoluendum & consecrandum humiliter submitto. Dignetur illud sua suorumue Manus impositione, tam ad eius absolutionem ab occultis fortè casibus insipientiæ meæ, reseruatis sapientiæ suæ; quam ad eius consecrationem in Minorem Ordinem ac Ministrum Ecclesiæ. Consecretur in Exorcistam omnis hæreticæ prauitatis, procul à tota doctrina Augustiniana: In Ostiarium, saltem vsq; ad atrium eiusdem doctrinæ: in Acolytum, hunc saltem cereolum ei præferentem: in Lectorem, Prælectorem, Collectorem eiusdem selectioris doctrinæ. Tondeatur saltem in Clericum, à suis fortè superfluis aut noxijs: imò radatur in Ecclesiæ mancipium, instar Gabaonitarum, *Iosue 9.* ad lignandum ex sylua huius doctrinæ, in fabricam ac sacrificium Ecclesiæ; indeq; venandum ac fugandum omnes *Feras calami. Psal. 67.* seu insidias hæreticorum, ad securitatem viatorum. Non vlla fraude aut fictione Gabaonitarum: *Iosue 9.* sed ex hac prima totius Operis ac Authoris intentione.

Ex

IESVS, seu veritas media, inter Doctores.

1. QVâ conscientiâ, de re inhibita, vel modo saltem inhibito contendi potest? Si quo iure naturali, aut Diuino tuendi necessariam veritatem, vel famam violatã: cur non cum moderatione inculpatæ tutelæ? Ad quid, tam sacra, tantoq; studio ac ingenio elaborata, conuitijs & inuectiuis cumulatis farcire, suoq; fine frustrare? Cur de tantis eius arcanis, inconsultâ Primâ Veritate, vbiq; præsente ac præsidente? Vel si eâ consultâ: vnde tam diuersa eiusdem oracula? Nisi quia, ex *B. Aug. 10. Conf. 26.* Vbiq; Veritas præsides omnibus consulentibus te: liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes audiunt. *Lib. de Magistro c. 12.* Tantum cuiq; panditur, quantum capere pro bona vel mala voluntate potest.

2. Quâ fide, abuti *Marte Gallico*, vel Hispanico, *Armacani*, in odium vel fauorem huius doctrinæ: tamq; sacros calamos acuere ad pungendum, sulphurare ad incendendum, & hoc quasi philtro imbuere ad procandum hostiles & corriuales Regum ac principum animos, inter se potiùs reconciliãdos?

3. Quo iure vel Iudice, sine *Iuramento calumniæ*, vel contra, Iudicio publico inter tantos viros tam indignè agitur &c.?

4. Quo fructu reciproca illa criminatio hæreseos?

5. Quo fine, Censuris reciprocis Fidem & Ecclesiam Catholicam coarctare: imò se inuicem inde proscribendo, eam quasi euacuare? &c.

6. Tandem ergo, magno omnium voto, ad *Aug.* Arbitrum, vel saltem suipsius interpretem: sed cur sub tot præcautionibus, protestationibus, exceptionibus, declinationibus, & quasi appellationibus. 1. Ab *Augustino* ad Ecclesiam. 2. Ab eo quasi vnico, ad plures Patres. 3. Ab eius Nomine & Fama, vt Hæreticis nimis familiari, & ab eis affectata. 4. Ab eius doctrina, vt in multis ab ipsomet Retractata. 5. Quasi ab eius nimio in Pelagianos impetu, & excessu? Nisi ex aliqua diffidentia Causæ propriæ, vel Doctrinæ aut Personæ huius Arbitri, seu Assessoris: ad pedes tamen sui IESV, inter omnes contendentes æquissimi.

Contra 1. Reijcit Ecclesia hanc Appellationem ab *Augustino*, vt Assessore suo: cuius non tantùm Personam, sed & selectiorem Doctrinam, vt *suam* Canonizando, seu in Canones fidei referendo, reliquam ei cognatam consecrauit. Hinc Sacrum Conc. Florent. Sess. 7. *Augustinum illustrissimum Latinorum Doctorum quinta Synodus consecrauit.* Hæc autem: *Sequimur*, inquit, *per omnia S. Augustinum, & suscipimus omnia quæ de recta fide & condemnatione Hæreticorum exposuit.* Cœlest. Papa ad Episc. Galliæ c. 1. *Augustinum S. Recordationis virum nunquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit.*

Contra 2. Plus deferendum est sententiæ solius Iudicis & Assessoris, ex Authoritate, & cognitione totius causæ instructæ: quàm tot quot alijs Iurisperitis. Sic & in tota huius causæ circumferentia, plus soli *Augustino* quàm reliquis: quantò magis ei cum omnibus suis successoribus, & multis coæuis ac prædecessoribus?

Contra 3. Non est suspecta familiaritas reciproca Medici cum Ægris, Christi cum Publicanis, Confessarij cum Reis mortis, potiùs quàm cum alijs: sic nec *Augustini* cum Hæreticis. Nec est quòd hi inde glorientur: nisi vt quidam de porrecta sibi manu Regis ad colaphum, vel Reus de alloquio Iudicis. Cedendus ne est hostibus armorum vsus: vel Hæreticis vsurpatoribus, nomen & fama Veritatis, Christi, Sacræ Script. Fidei, & Ecclesiæ Catholicæ? Cur ergo Doctrinæ Augustinianæ? An quia *Ioannes VViclef*, teste *VValdensi*, affectabat, & à suis denominabatur *Ioannes Augustini*: hæc, aut similis denominatio cauenda? Quin potiùs, cum reipsa, æmulanda, præoccupanda, recuperanda, extorquenda, reuindicanda est.

Contra 4. Vt Reuisio Causarum, & *Exceptio firmat regulam*: sic Retractatio Augustiniana, vt correctoria paucorum & leuiorum, distinguit quidem à Canonica; sed vt iterata Tractatio, & vltima Manus-Impositio, omnia non correcta, sed hucvsq; vsu & laude publica Ecclesiæ celebrata confirmat, & eximit ab vlteriore, vt sacrilega *Oza 1. Reg. 5.* manus impositione. Qui enim tantilla iunioris ætatis, senex tam studiosè & seuerè correxit: nec grauiora præterijt, nec corrigẽdo grauiùs errauit. Hinc, de Dono perseuer. c. 25. *Qui non intelligunt*, inquit, *orent vt intelligant: qui verò errare me existimant, diligenter considerent, ne ipsi errent.*

Contra 5. Sed nil mansuetudine & modestiâ *B. Aug.* indignius, nil Ecclesiæ Dei perniciosius illo stupido ignorantiæ refugio, ad nimium in Pelagianos impetum & excessum. Hoc enim est totam *B. Aug.* authoritatem eneruare: & *Caluino l. 3. Instit. c. 3. & l. 4. c. 4.* ad vnicum *Augustinum* prouocanti, vel victoriam cedere, vel eandem pro libitu calumniam suggerere. Si enim id prætendi potest de *B. Aug.* iam sene non ad populum hyperbolicè declamante, nec feruentiùs coram disputante: sed maturiùs docente, scribente, retractante: quid de Iuniore cum alijs hæreticis contendente? Hinc *Cœlest. Papa ad Episcopos Galliæ c. 2.* meritò improbat eos *qui Catholico nomine gloriantes, Magistris nostris*, inquit, *tanquam necessarium loquendi modum excesserint, obloquuntur.* Et quamuis *cap. 11.* discernat dogmatica à *profundioribus quæstionibus* ad fidem non necessarijs: nec illas tamen, inquit, *audemus contemnere.* Quanto minùs nos vllam *B. Aug.* Doctrinam despiciamus: sed vt supra captum nostrum suspiciamus. Hic excessus perfectionis, supra necessariam fidem, & charitatem, ac captum nostrum, tribuendus est *Beato Aug.* nullus autem impetuosus & vitiosus, nisi ab ignaris, & blasphemis tam vitæ, quàm Doctrinæ eius. Quales etiam sunt qui eodem impetu pueros sine baptismo defunctos à *B. Aug.* protritos esse criminantur.

7. Vt qui circa incidentia & impertinentia tergiuersantur, de causa principali diffidunt: sic & qui circa faciliora & expressiora *B. Aug.* proteruiunt. *Infra*. Sed ad causam principalem, seu ad grauiores difficultates: salua semper integritate totius Doctrinæ *S. Aug.* Quia iudicio Salomonis *3. Reg. 3.* præstat eam integram cedere, quàm distrahendo lacerare.

Subdit 12. contentiones de sensu *S. Aug.* sub aliquo sensu mediante: vel vt IESV in medio stante, vel inoffenso transeunte &c.

SERENISSIMO PRINCIPI &c.

TOTAM DOCTRINAM S. AVGVSTINI:

IN fidelissimum ac potentissimum præsidium, ad tuendam hæreditariam Fidem & Pietatem erga Sacrosanctum EVCHARISTIÆ Sacramentum, & Immaculatam Deiparæ Virginis MARIÆ Conceptionem: inq; Sapientissimum, Conscientiæ, Politiæ, Militiæ, totiusq; Status Catholici, non Tacitum Antichristianum, sed Secretissimum & Sacratissimum Consilium; ipsi CAROLO MAGNO inter Arma & fercula quondam præsentissimum: DOCTRINAM ipsi Canonicæ proximam, ab Ecclesia adoptatam, imò & eius Primogenitam, nulla vnquam eius censura correctam, nulla correctione maculatam, nullius sinistræ suspicionis rumore aspersam; sed ab omnibus sacris Concilijs, Summis Pontificibus, totaq; Ecclesia in sensu publico ac continuo celebratam, consecratam, canonizatam; In eodem sensu ab annis 400. in Ordine nostro S. FRANCISCI solemniter professam; Ab anno 1567. in eodem sensu Ecclesiæ & Maiorum, per Theologos eius Ordinis & Prouinciæ Flandriæ, emunctis 76. adulteratis sententijs, meritò censuratis, illustratam; Ab anno 1642. per eorundem Successorem, Commentario Anatomico, omnibus Ecclesiæ censuris, contra nouas Hæreticorum fallacias, IESV seu eius Veritate inter Doctores mediante, confœderatam; Eodemq; sensu hoc anno 1651. Romæ in Comitijs generalibus eiusdem Ordinis corā facie Ecclesiæ profitendam, contra omnem huius Doctrinæ calumniam, exceptionem, & nimis indignam ac infidelem cum alijs Patribus, ipsoq; ORIGENE comparationem, quoad hæreses materiales; sed interim singulari Dei prouidentia, Edicto Regio verè Catholico, velut laureatam; indeq; ab omni timore tonitrui, & periculo fulminis, imò vel minimi præiudicij sapientissimè protectam: sub hoc ipso specimine & præconio, vt tributum honorarium sui Ordinis prælibat, D. C. Q. eiusdem Doctrinæ ab annis 35. discipulus potiùs quàm Professor F. M. H.

ANALOGIA DOCTRINÆ S. AVG. CVM CANONICA, &c.

1 HÆc Analogia Doctrinæ & Veritatis, non est æqualitas, nec tamen æquiuocatio, aut improprietas: sed vniuocatio, cognatio, & quasi Genealogia, seu participatio & dependentia essentialis totius Doctrinæ & Veritatis posterioris & inferioris, à fœcunditate prioris & superioris. Nam vt B. *Aug.* vel Author Tract. de Assumpt. B. V. M. *Fœcunda est veritatis authoritas: & dum diligēter discutitur, de se gignere quod ipsa est, conuincitur.* Sed quæ ratione quasi obstetricante nascitur: non quidem à veritate, sed à certitudine fidei degenerat.

2. Vt IESVS in medio Doctorum, *Luc.* 2. sic & Veritas Fidei ex medio Ecclesiæ, seu Eminentia S. Sedis Apostolicæ totam illustrat Ecclesiam. Veritas simplicis intelligentiæ, à prima Veritate omnibus mentibus præsente, præsidente, & prælucēte, in apice mentis refulget, indeq; ad rationem vsq; coruscat. Ex B. *Aug.* 8. Trin. 2. *Velut coruscatione perstringeris, cùm dicitur Veritas, &c.* 10. Conf. 26. *Vbiq; veritas præsides omnibus consulentibus te, &c.* Lib. de Magistro c. 12. *Sed tantum cuiq; panditur, quantum capere pro bona vel mala voluntate potest.* Veritas rationis, seu Scholastica, est media inter Doctores, ad eandem sub varijs radijs collimantes: non tamen adæquatè, nec æqualiter attingentes.

3. Vt *Deus non est dissensionis, sed pacis*, 1. Cor. 14. *Quæ pax Dei exuperat omnem sensum, custodiēs corda* ab omni discordia, *& intelligentias* ab omni errore & contradictione, Phil. 4. *Sine qua pace nemo videbit Deum*, Heb. 12. nec vllam eius veritatem. Sic nec vlla Doctrina Catholica, nec Augustiniana, est causa vllius dissensionis, sed consensionis scholasticæ: inter tot quot opiniones, velut concentricas, seu tanquam lineas rectas à circumferentia ad idē centrum vndiq; tendentes. Hinc B. *Aug.* 1. Trin. 3. *Arbitror nonnullos tardiores opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi: quorum errorē mihi tribui nō debere quis nesciat? vt nec S. Script.*

4. Vt Sacra Scriptura est ab Ecclesia ex certissima Traditione canonizata, seu in Fidei Canonem recepta, & Sancti ab Ecclesia canonizantur, seu in Sanctorum numerum referuntur: sic non solùm Persona, sed etiam Doctrina B. *Aug.* est ab Ecclesia per Summos Pontifices, & Concilia etiam generalia canonizata, seu verbatim in Canones Fidei assumpta, vel saltē approbata vt Fidei cognata. In quem sensum *Sess.* 7 Conc. Flor. *Augustinum illustrissimum Latinorum Doctorum*, 5. *Synodus consecrauit.* His verbis inde relatis. *Sequimur per omnia S. Augustinum, & suscipimus omnia quæ de recta Fide, & condemnatione Hæreticorum exposuit.*

5. Vt sacra Scriptura, & Ecclesia, sine vitioso circulo sibi inuicem suffragantur: Sic & B. *Aug.* tanquam veræ Ecclesiæ Christi signifer, præfert ei certissima & euidentissima insignia, *Vnius, Sanctæ, Catholicæ, Apostolicæ*, seu Romanæ. Defertq; S. Sedi Apostolicæ infallibilitatem, & indefectibilitatem etiam personalem Fidei, & Doctrinæ moralis: hæc verò refert ei approbationem Doctrinæ. Vnde *Cœlestinus* Papa ad Episcopos Galliæ: *Nunquam hunc* .i. *Augustinum, sinistræ suspicionis rumor aspersit.*

persit. De quo *S. Prosper* lib. 4. contra Collatorem. C. 1. *Viginti amplius annis Catholica acies huius viri ductu pugnat & vincit*. C. 21. *S. memoriæ Papa Bonif. cùm esset doctissimus, B. Aug. responsa poscebat.*

6. Vt *Littera sine vero sensu occidit*, sed *spiritus* seu veritas eius *viuificat*, 2. *Cor. 3.* suntq; in ea *quædam difficilia intellectu; quæ indocti & instabiles deprauant, ad suam perniciem*, 1. *Pet. 3.* Nec tamen ideo cauenda, suspecta, aut despiciẽda est: sed eo humiliùs suspicienda, studiosiùs inspicienda, & religiosiùs colenda est. *Sic* & hæretici, sola literâ, & nomine *B. Aug.* gloriosi, sed *indocti & instabiles*, eâ abutuntur: Docti autem & in *Fide stabiles*, vero eiusdem literæ Spiritu, tanquam proprio antidoto, seipsos. & alios viuificant, ac viuificantur. Hinc *B. Aug.* Lib. de Dono perseuer. cap. vlt. *Qui errare me existimant, etiam atq; etiam diligenter considerẽt, ne ipsi fortasse errent.*

7. Vt singulæ S. Script. habent tot veros sensus à Spiritu Sancto intentos ac prouisos, imò & ab ipso *S.* Scriptore præuisos, quot Fidei conformes inde elici possunt. Ex *B. Aug. l. 1. Doct. Christ. c. 27. Et 12. Conf. cap. 31. 32.* Sic & quæuis Doctrina *B. Aug.* habet tot veros sensus, ab eo intentos, ac præuisos, quot possunt cointelligi. Quales sunt 4. sensus in *1. Tim. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri. Lib. de correpi. & gratia cap. 14. 15. lib. de spir. & lit. c. 33. Epist. 107. Et si quo alio modo illa verba intelligi possint.* Vnde omnes S. Script. & *B. Aug.* interpretes, facilè conciliari, & cointelligi possunt.

8. Vt *S.* Script. habet suos Idiotismos, Hebraismos, & Græcismos, ad eius verum sensum percipiendum scitu necessariòs, variasq; locutiones proprias & improprias, claras & obscuras: ita tamen vt *vix quicquam in ea obscurè dicatur, quin alibi planissimè dictum reperiatur*, ex *B. Aug. 1. Doctr. Christ. 9.* Sed hæc ipsa collatio totius Script. difficillima est. *Sic* & Doctrina *B. Aug.* habet suos Idiotismos Africanos, suas inuersas constructiones, dictiones proprias & improprias, claràs & obscuras; quæ tamen alibi clarissimè exprimuntur. Quid enim obscuriùs, quàm in *Psal. 98. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, nec bibituri illum Sanguinẽ quem fusuri sunt qui me crucifigent?* Quid clariùs? quàm *Tract. 95.* in Ioan. 16. *Iam non videbitis me .i. quomodo vobiscum sum. Hunc ergo Christum .i. talem Christum non erant iam visuri.*

9. Vt *S.* Script. habet suum verum & continuum sensum, Ecclesiæ traditione propagatũ: non autem priuatum, secretum, interruptum, & renouatum. *Sic* & Doctrina *B. Aug.* habet suum verum sensum cõmunem & continuum, ab eius Discipulis in Ecclesia propagatum: nullâ vnquam obliuione, aut errore opposito sepultum, nec alia Doctrina præualente suppressum, nec à recentioribus discendum, sed à Maioribus nostris recolẽdũ. Quorum Doctrina intra Ordines Religiosos, est prior, constãtior, & ab omni errore securior.

10. Vt Ecclesia non inhibet, nec censurat vllam Doctrinam Sacræ Script. *SS.* Conciliorũ, & Fidei Catholicæ: sed solùm quasdam lasciuias, mutilas, & ab Hæreticis deprauatas. Sic nec vllam Doctrinam, aut sententiam verbalem, multò minus intentam à *B. Aug.* sed solùm quasdam emunctas, ac fœtentes, nisi suæ integritati, ac luci restituantur; & contentiones, ac dissensiones scandalosas de earum sensu. Quales sunt omnes propositiones Bajanæ, iure merito censuratæ: vt verbis, & sensu proprio, ac expresso dissonantes à *S. Conc. Trid.* ipsoq; *B. Aug.*

11. Vt *S.* Script. & Doctrina Ecclesiæ, est omni comparatione, exceptione, appellatione, & declinatione maior: sic & suo modo doctrina *B. Aug.* inter reliquos Patres. Nec derogant ei Retractationes: sed vt causarum reuisiones, & exceptiones cõfirmant. Nec vllo vnquam animi impetu medium seu centrum veritatis contra Hæreticos excessit. Ex *Cælest.* Papa ad Episcopos Galliæ cap. 2. *Magistris nostris, tanquam necessarium loquendi modum excesserint, obloquuntur.* Non solum in quæstionibus dogmaticis: sed vt inquit, *nec in profundioribus.* Nil tamen indignius, & *B. Aug.* ipsiq; *S. Hier.* iniuriosius, illa comparatione cuiusdam recentioris, inter *B. Aug.* & *Origenem*, quoad errores & hæreses materiales: quasi ex *S. Hier. Epist. 92.* sed contra eundem, ibidem.

12. Vt *B. Aug.* sic & omnes eius veri Discipuli, præ omnibus deferunt Ecclesiæ, eiusq; Sedi Apostolicæ. *Epist. 62. In Ecclesia Romana semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Lib. de vnico baptismo. *Marcellinus, Melchiades, Marcellus, & Syluester, traditionis Codicum Diuinorum, & thurificationis crimine arguuntur: sed nunquid conuincuntur? Ego innocentes fuisse respondeo*, Quod est credibilius opinione iam communi.

13. Vt *S.* Script. & Ecclesia, etiam in Concilijs generalibus, defert soli B. MARIÆ Virgini titulum *Immaculatæ*, ipsumq; *S. Conc. Trid. sess. 5.* excipit eam: à decreto de peccato originali: sic & *B. Aug. lib. de Natura & Gratia cap. 36. Excepta S. Virgine* MARIA, &c. Sed expressiùs, *Lib. de 5. hæresibus cap. 5. Ego Matrem de qua nascerer feci, ego viam meo itineri præparaui. Hæc quam tu despicis, Manichæe, Mater mea est, & de manu mea fabricata. Si potui* (vel potius vt legit noster Galatinus) *Si potuit inquinari, cùm eam facerem: potui in illa inquinari cùm ex ea nascerer.* Hinc & totus Ordo S. FRANCISCI, cum plerisq; auxiliarijs, tribuit titulum *Immaculatæ*, non soli personæ, nec soli Virginitati: sed & Conceptioni seu primæ animationi, cuius macula repugnaret ipsi Immaculatæ Personæ, & Virginitati animæ.

14. Vt vera Christi Ecclesia: sic & ille est verus Ordo & Successor *S. Francisci*, qui est similior Ecclesiæ, & Vicario Christi, in vera Vnitate, Sanctitate, Successione, & ipsius nominis proprietate. Sed illa est perfectior obseruantia Regulæ *S. Francisci*: quæ est religiosior, & sapiẽtior; præfertq; præcepta consilijs, grauiora leuioribus, interiora exterioribus, & veram Charitatem omnibus. Ex *B. Aug.* Lib. de vera Religione cap. 33. *Vni Deo religantes animas nostras, omni superstitione careamus.* Lib. 9. Conf. 6. *Placuit Alipio renasci in te mecum, fortissimo domitori corporis, vsq; ad Italicũ solum glaciale nudo pede terendum, insolito ausu.* Serm. 40. in Luc. 10. *Ego Euangelium impleo, quia nudo pede ambulo. Tu potes, ego non possum: amo fortitudinem tuam, tu portes infirmitatem meam. Ergo stoliditatem deponamus, & verba Domini intelligamus.*] QVID HIS INNOCENTIVS AB OMNI PRÆTENSA CENSVRA?

Pro Vnitate Fidei & Ecclesia Romana, Leodij 1653.

Contra Synopsim & Scholia cuiusdam Samuelis Des-Marets.

Pag.3. JOANNES A CHOKIER, *Canonicus Vicarius Generalis Leodiensis*,&c.

Cùm ad nos fama referente peruenerit, quendam Samuelem Des-Marets, *olim quidem Traiecti ad Mosam prætensum Verbi Ministrum, nunc verò* Grœningæ *Professorem, edidisse nuper noua quedã Scholia in prætensum nostrorum Catechismum: ne sub hac larua incautos quosdam Catholicos decipiat, & hæreseos virus imprudentibus tanto periculosiùs propinet, quantò occultiùs solitis suis fucis, & artibus. Hisce palam faciendum, & quemlibet salutis suæ studiosum saluberrimè monendum duximus: dictum* Samuelem Des Marets *esse eundem ipsissimum, qui ab annis circiter 18. in Oppido Traiectensi edidit falsissimum Catechismum sub nostro & RR. PP. Societatis IESV nomine, fraudibus, imposturis, & hæresibus refertissimum; Item falsissimum quoddam Mandatum lectitãdi Biblia vernacula, sub nomine Ser.mi pro tunc Episcopi Leodiensis. Quarum quidem longè atrocissimarum falsificationum, & imposturarum publicè accusatus idem* Samuel Des-Marets, *& velut conuictus; Traiecto ad vitandam infamiam publicam excessit, &c. Datum Leodij hac 10. Ianuarij 1653.*

IOAN. A CHOKIER DE SVRLERT, qui supra.

CVm ergo tantus Impostor sit tam ambitiosus contendendi cum nostris Maioribus: non dignentur eum sua responsione; sed relegent ad suos *Minores* Exorcistas, seu ad nostros in eum exorcismos renouandos & prosequendos. Nam ab anno 1633. cùm à Ministris hæreseos prouocatus, à Legato Apostolico monitus, & ab Ordinario Leodiensi missus, toto triduo Lymburgi publicè contra illos, tam imperitos, quàm pertinaces contendissem: *Hottonio*, defectu memoriæ suas tritas calumnias prælegente, tandemq; cum suis complicibus quasi in publicum memoriæ & iudicij deliquium lapso, & inducias deprecante: ne viderentur sola memoriâ, sed totâ causâ defecisse; Actis Notariorum fideliter editis, hunc ipsum *Samuelem Des-Marets* tunc Pseudo-Ministrum Traiectensem humaniter inuitaui, ad modestè prosequendum causam suorum Complicum. Sed toto anno reciprocandis cum eo epistolis elabente: interim *Hottonius* Ludgunum Batauorum profectus, consultis 7. spiritibus nequioribus se, ijsdemq; obstetricantibus, edidit Apologiam abortiuam mendaciorum contra fidem publicam Actorum à suo nostroq; Notario exceptorum. Hic autem *Samuel Des-Marets*, vt nomine ac re *Borborita* vel *Coprophorus*, ex cordis ac oris sui cloaca euomuit in me quandam Monachomachiam, Theomachiam, Christomachiam, Hagiomachiam, Iconomachiam, Hieromachiam, Automachiam.

Cuius nequitia Diabolica nostris Exorcismis cõuincitur, maximæ imperitiæ in doctrina *S. Aug.* quàm ostentat, expressæ defectionis à pluribus Art. suæ pseudo-fidei, & 4 grauium criminũ. Quorum inustione, vt conuictus & tacitè confessus, huc vsq; obmutuerat.

Nunc autem eius *Cerbero*, seu cerebro quasi 18. annis sopito, vel lambendo *Lethe* fluuio, omnium priorum oblito, ad nouam Synopsim & Scholia euigilans: suo latratu suscitat nos ad refricandam ei nostrorum exorcismorum memoriam. Exemplo *S. Hieronymi* contra *Vigilantium*, & plurium SS. Patrum contra hæreticos: teste *Eusebio lib. 5. cap. 10.* & *Vitâ S. Epicteti* Presbyteri, inter *Vitas SS. Patrũ.* Imò sub ipsa Conferentia nostra publica in Tẽplo Lymburgensi, quidam Sacerdos ex nostris Dæmones coercebat, secretis retro altare Exorcismis.

Quibus tunc impurandum duxi, quod 4. Ministri ad hoc præparati, inter armatas suorum militũ series, in prima comparitione non potuerint vel vnicum argumentum ex memoria formare, nisi eis reformaremus. In 2. defectu memoriæ non potuerint prosequi, nisi sua scripta prælegerent. In 3. non potuerint sua vel suorum scripta prælegere. In 4. ad nostram responsionem Abecedariam, quantumuis à nobis instanter prouocati, non potuerint vllo verbo replicare; sed defectu memoriæ & iudicij, inducias 8. dierum deprecati sint. Quorum omniũ fidem faciunt Acta originalia, à nostro & eorum Notario verbatim excepta, plurimiq; testes adhuc superstites totius facti.

Quæ inter præconia S. AVG. recolimus. Tũ quia Limburgi omnes Ministri impugnãtes inuocationẽ Sanctorum, à prætensa eis impossibili cognitione cordium, & tot tamq; distantium: subitò obmutuerunt; nostrâ cum *Bellarmino, Richeomio, Veronio*, sed illis improuisâ responsione, ex *Aug. de cura pro mortuis cap. 16.* Quod etsi Deus possit & soleat illis reuelare: nostra tamen fides & praxis inuocandi Sanctos non pendeat ab hac reuelatione; sed à sola Dei cognitione, & solita exauditione, ob preces ac merita Sanctorum pro inuocantibus se. Postea tamen reclamarunt, hoc esse contra fidem Romanã, finxeruntq; censuratum *Tornaci & Duaci*. Sed Censor Tornacensis, & facultas Theol. *Duac.* publicauit, esse veræ fidei & Ecclesiæ Romanæ. Tum quia omnes nostri Exorcismi constant verbis & verò sensu S. Script. ac S. AVG. Nec vlli sunt efficaciores; tam contra magicum illum GYGIS annulum, quo sibi *Hotton*, & *Elymas*, Syriacè *Samuel* inuersus, & complices, Ecclesiam nunc visibilem nunc inuisibilem sibi desponsant; quàm contra alias præstigias, quibus à vera fide & adoratione Christi in Eucharistiâ, ad Idololatriam phantasmatũ peruertunt.

Toto autem hoc nostro *IESV inter Doctores*, conciliamus omnes Doctores Catholicos in vnitatem fidei: intepretando eorum opiniones, non vt contrarias, sed vt distinctos rationis radios ad idem centrum fidei collimantes, seu varios modos idem explicandi; & discernendo ab omni prauitate hæresis formalis & materialis. Ex hac elapsa confessione *Maresij* in Præf. suæ Synopsis. *Orthodoxia nostra grauatur, ac si ipsum hominum liberum Arb. IN GENERE ENTIS negaremus.* Ergo fatentur solam potentiam naturalem, non autem vllam eius libertatẽ. Deinde ex principio eius hæretico: quòd soli prædestinati iustificentur, vocentur, &c.

Ex

Sub Dedicatora ILL.mo ac R.mo Episcopo Tornacensi, vt primo motori seu monitori.

A Primo Motore & motu cœlestis Hierarchiæ: ad primum Vice-motorē Ecclesiasticæ, motu communi fidei contra 5. *Prop.* absq; vllius stellæ ecclipsi seu defectione; solo huius *Cerebri Cerbero* cōtra hoc Ecclesiæ pleniluniū latrāte. Cuius calūnias doctrinæ hoc Opusculo reprobamus: dilatis in aliud Opusculum calumnijs facti. Sed quia *pag.* 1. relatę, sūt nimis affines Doctrinę: ideo in *Præf.* prioris Opusculi redarguēdos censui erroris, ignorantiæ, imperitiæ, malæ fidei, & conscientiæ, omnes præbentes hæreticis occasionem huius calumniæ; imputando S. Avg. vt *Origeni*, multa falsa, figmenta, hæretica, etiam non retractata, eiq; negando titulum Doctoris Irrefragabilis. Sed quia quidam huius censuræ asperitate offensi sunt: Ad eos placandos, salua correctionis veritate, mitigamus eam ad solam censuram obliuionis, inaduertentiæ, vel typographiæ; vt omnibus vtrimq; cōdonatis, omnes in eundē sensum & cōsensum & Fidei, Ecclesiæ, & S. Avg. hæc doctrinæ eius præconia concinant; vel ad hāc nostrā Benedictionem, saltem respondeant Amen.

1. *Tanta tamq vera est eius fama: vt meruerit assumi & compingi in subsellium, & scabellum S. Sedis Apostolicæ.*

2. *Tam est irrefragabilis, vt non subsit vlli censuræ humanæ: nec vlla eius pars fuerit vnquam ab Ecclesia censurata; sed ipsis censuris illustrata, & ab omni errore discreta.*

3. *Quicumq ei imputant hæreses materiales, vel errores ab Ecclesia censuratos, aut censurabiles: grauissimè peccant, in perniciem Ecclesiæ, & hæreticorum fauorem; merenturq ab omnibus corrigi, & explodi.*

4. *Sed optimè de S. Ecclesia & Sede Apostolica merentur: qui totam Doctrinam S. Aug. ab omni calumnia hæresis etiā materialis vendicant, & ab omni errore studiosè discernunt.*

Quæ nec hyperbolica, nec panegyrica, nec leuia: sed grauia & moralia censeantur.

1. De quadam parte Doctrinæ S. Avg. *canonizatā*, seu in Canones fidei assumptā: reliquā autem nimis cohærente, quàm vt ab vllo inferiori censurari possit.

2. Non de infallibili absolutè: sed de irrefragabili propriè & moraliter, à refragando contrariè .i. de titulo morali tantæ famæ, fidei humanæ, certitudinis, & probabilitatis moralis: vt non subsit vlli nostræ censuræ, præsumptioni, suspicioni, vel exceptioni falsi. A simili discipulorum, qui debent suis Magistris Avtos epha, seu plus fidei quam sibi ipsis in doctrina. Imò & à simili omnis viri probi, sed præcipuè Iudicum, Notariorum, Testium, Mercatorum: quorum actis publicis, & libris rationum debetur fides humana. Quantò potiùs Doctrinæ S. Avg. à canonizatione vnius partis, & approbatione totius, per plures Summos Pontif. & Sacra Concilia, sine vlla vnquam exceptione?

3. De Mandato Dei, non vsurpandi iudicium in non subditos, quantò minùs in Superiores? Nec vllum intra vel extra nos ipsos diffamandi, falso, dubio, aut incerto testimonio, suspicione, vel detractione, directè nec indirectè: sed omnia quantum fieri potest in verum & bonum interpretandi. Quantò potiùs cauendi, ne famam & fidem humanam S. Avg. vt testis Irrefragabilis Ecclesiæ, minuamus: in tanto periculo scandali, & opprobrij ab hæreticis?

Quibus ad valuas Ecclesiæ Leod. proclamatis & expositis 26. Ianuarij 1655. prælectoq; testimonio irrefragabili *pag.* 22. relato: quo PAPA se & S. Avg. ab hac calūnia vēdicat: Nemine seriò opponēte, reclamante, vel contra protestante, omnes oppositæ calumniæ confusæ & explosæ sunt.

Ne tamen *Samuel* inuersus possit prætendere, non fuisse sibi Leodij liberum, nisi quadam protestatione clandestina, quæ redolet cloacam, crapulam, vomitū, & verba expressa *Monachomachiæ* eius: Audiatur liberè & integrè, per quemuis causidicum, eius causæ peritum. Sed nonnisi post totū Offertorivm, & Officium Diuinū præconum Doctrinæ S. Avg.

Inter quos, nomine & professione, non præconio Minor, R. P. *Franciscus à S. Augustino* cognomine *Macedo*, natione Lusitanus, velut alter Acolytus & Ceroferarius, pro toto nostro Ordine S. Francisci, coffert suā illā patulā Cortinam *Doctrinæ S. Aug.* eiusdem toni seu sensus medij cum nostra Anatomia, & Collatione totius Theol. Sed liberiori præconio anno 1654. Londini in Anglia celebrauit Sacram Constit. Innoc. X. & totam simul Doctrinam S. Avg. contra omnes vtriusq; obtrectatores. Præcipuè contra cuiusdam Anonymi calumniā: quod Papa ex respectu humano Principum, ad instantiam *Iesuitarū*, condemnauerit illas 5. *Prop.* pro tempore, ad cauendū maius periculū. Quæ calumnia cùm coalescat cum hac *Marcsij*: eadem operā reprobatur.

1. De vera vel falsa luce Doctrinæ.

VT nostro Exorcismo 1. Nescio quæ pythonissa *1. Reg. 18.* nobis hunc *Pseudo-Samuelem* suscitauerit : sed scio eũ ex sua *Monachomachia* reuomere.

Quid mihi cũ illo Monacho, Mendico, &c. eiusq; Exorcismis, IESV inter Doctores, Reprobatione, Anatomia, Collatione & alijs recoctis, obscuris, ingratis, & vbiq; etiam apud suos Censuratis rapsodijs, & prætensis Doctrinæ S. AVG. præconijs?

RESP. Quasi vero pauperes & seminudi pedites, non sint necessarij Ecclesię, cum equitibus, in suo exercitu contra hostes. Quasi censu pauperes, non sufficiant Geusijs sensu fidei & veritatis. Quasi Exorcista Minoris Ordinis, non sufficiat Energumeno maioris Dæmonis. Velit, nolit, est noster Energumenus, noster captiuus, nostris Exorcismis ab annis 20. vinctus, tacitè victus & conuictus : sed cum eo luctando saluti eius ita deuincti sumus ; vt non cedamus vllis expertis totiesq; conuictis Genij eius hęretici mendacijs imposturis opprobrijs. Circuiuit terram vt fingeret nouas censuras : conuictâ illa sua priore, supra col. 40. Si enim nostra vbiq; displicerent : cur nobis inscijs *Parisijs* recusa & inde propagata forent? Sed omnes nostri Exorcismi sunt ei obscuri, ingrati, recocti : quia cùm se transfigurat in Angelum lucis, vt ficta luce fidei nostrę illudat; sacris nostris cereis obscurę fidei vritur, & ab ea ad suas tenebras latrando refugit. Latret tamen potiùs, quàm pertinaciùs obmutescat.

Sed ne solis Exorcismis cum hoc nostro misero Energumeno agamus : vtatur ratione saltem naturali, & voce humana. Caueatq; sibi ab illo pseudo-Angelo lucis, & ab igne fatuo superlucenti suæ paludi, ne in præpitia seducat. Nec cum muscis in flammam clandelæ inuolet. Nec cum pueris ad vitreas lucidas oculos detorqueat, ne strabo fiat. Nec cum Grammaticis verborum superficie, sed profunda rerum obscuritate delectetur. Nec cum Philosophis profundissimas illas Aurifodinas S. Script. & S. AVG. luce quasi solari suæ rationis scrutetur; sed *lucerna illa lucẽte in caliginoso loco, 2. Petri 1.* Quòd si qui plus possunt, non despiciant obscuros Aurifossores: sed glebas aureas sursum attollant, eliquent, in laminas tundant, & totam inde Ecclesiã inaurent. Caueant tamen ne quid luce superficiali, imaginaria, vel rationali inde relucente, adulterent: indeq; falsam monẽtam cudendo, totiq; Ecclesiæ illudant.

2. De prætensa Factione.

ZOSIMVS *Papa*, teste *Baronio* ad annum 417. ex ipso *S. Aug. libris de pecc. orig. contra 2. Epist. Pelag. & Iulianum*, seductus à *Cælestio* & *Pelagio*, eorumq; Romæ fautoribus, absoluit illos ab omni suspicione hæresis, & condemnauit accusatores, HEROTEM & LAZARVM Galliæ Episcopos, calũniæ, & plurium atrocium criminum. Nec hoc rarò sed sæpè fieri testatur *S. Aug.* lib. de vera Relig. c. 6. *Sæpe sinit diuina prouidentia expelli etiam de Christiana congregatione viros bonos, &c. Rarum hoc videtur genus : sed tamen exempla non desunt, imò plura sunt quàm credi potest.* Ergo idem est de condemnatione *Baij, Iansenij, &c.* à Papa, *Factione Iesuitica.*

RESP. Imò potiùs : Ergo id in hac causa nullatenus est credibile. Quia id solùm in causis & Iudicijs facti, ex hypocrisi, fallacia, & falsa informatione ac instructione causæ : quæ non solùm Papæ, sed cuiuis Iudici, ipsisq; Conc. generalibus, sine vitio Iudicis aut Iudicij, sæpè subrepere potest. Teste BARONIO, & AVG. non solùm innocentiæ ZOSIMI supra; sed & *Marcellini, Melchiadis, Marcelli, Syluestri. Libro de Vnico Baptismo*, cõtra tam cõmunem opinionem. Hæc autem causa, vel saltem sententia, & condemnatio non est vllius facti aut personæ : sed solius doctrinæ, sine dubio erroneæ, imò hæreticæ, in sensu illis verbis expresso, quicquid sit de vero aliquo sensu intento, aliter exprimendo. Non enim Ecclesia iudicat de soli intẽtis, sed expressis. Vt *Trid. sess. 6. cap. 11. Nemo vtatur voce illa temeraria, & à Patribus sub anathemate inhibita: Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia.* Et per omnes Canones : *Si quis dixerit, &c.* Quæ ergo potuit subesse *factio*, siue nostra, siue *Iesuitica*, circa illas Prop. Cùm nec condemnentur vt *Baij*, nec vt *Iansenij*, sed vt tales, quales sine dubio sunt, cuiuscumq; sint. Quæ prouidentia & circumspectio PAPÆ, & consultorum eius : est contra & supra omnem calumniã & suspicionem Factionis, fallaciæ, fauoris, & respectus humani.

3. De Censuris PAPÆ.

Papa condemnauit plures sententias expressas *S. Aug.* contra suam protestationem : Ergo vel ex graui errore, vel ridiculè, vel ex aliquo respectu personæ, non vt *Sancti Aug.* sicut nec illas vt *Baij* vel *Iansenij*. Quid enim expressius & frequẽtius apud *S. Aug.* quàm 25. inter Baianas? *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia. 27. Liberum Arb. sine gratiæ adiutorio nonnisi ad peccandum valet.* Lib. *de spiritu & lit. cap. 3.*

RESP. Imò PIVS V. & GREG. XIII. sub Prop. 52. BAII: *Definitiua hæc sententia, Deũ homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribui-*

tur

tur Augustino,cum sit Pelagij: tam expresſè diſcernendo ab alijs,quid ſit *S.Aug.*idem exemplificant de omnibus. Quod & ſupponit INNOC.X. in 1.Prop. & reliquis.Nec proteſtatus eſt contra proprium actum: ſed contra omnem calumniam condemnatæ vllius Doctrinæ quę ſit *Aug.* ex vllo errore,*Factione*,aut reſpectu perſonæ.Nec in cōdemnandis 5.Prop.ſine vlla mentione S.AVG. ſeu illarum ab eo diſcretione,præbuit vllam,ſed abſtulit omnem occaſionem ſuſpicandi, ne quidem vllam Doctrinam S.AVG.fuiſſe reuocatam in dubium ad hoc iudiciū. Quod ſat expreſſit,proteſtādo ſeu inhibendo vt ſupra, *Ne quod inde præiudicium inferatur Doctrinæ* S.AVG. Addendo autem, NEQVE GRATIÆ EFFICACI: præcidit omnem ſuſpicionem prætenſæ *factionis Jeſuiticæ, in fauorem Molinæ*, qui videtur potiùs deferre efficaciā libero Arb. quàm gratiæ. Deniq; nulla Prop. condemnata eſt S.AVG.non ſolùm quoad ſenſum, toto contextu expreſſum; ſed nec quoad integram verborum formā inde præciſam.

Nam nec*S.Aug.*vnquam abſolutè cenſurauit *omnia opera infidelium, &c. virtutes Philoſophorum*: ſed ſine vlla actuali gratia Dei, quàm ſæpè docet datam ad aliqua, & conſtat dari infidelibus ante ſtatum fidei, ad credendum &c.Nec vnquam docuit *liberum Arb. ſine adiutorio Dei nihil niſi ad peccandum valere*:negando omnem reliquā eius vim ad bonum;ſed *non valere* ſeu ſufficere ad *quicquam* veri & boni ſalutaris,vel etiam moralis,nec fortè purè naturalis ſine aliquo vitio. Imò ſæpè expreſſit *aliquantū valere, parum valere.* Vt patet ex lucerna *noſtræ Anatomiæ, à col. 47. ad 52. Indicis. 152. 153. 154. 171. 172. Abſolutionis finalis.* Et ex Indice noſtræ Collationis *col. 37. 38.* ad finem *Tomi 1.* Qua lucerna qui nequit, aut non dignatur vti: quærat ſibi lucidiorem & gratiorem; ſed caueat à luce nimis ſenſibili, imaginaria, & humana.

4. De Doctrina Eucharistica S.AVG.

Tandem Papiſtæ palam factitant, quod nobis vél noſtris tam diu exprobrarūt. Diffidentes enim de Doctrina SS.PP. ipſuſq; S.AVG. quod eis inde placet pro ſignis ſuæ prætenſæ Eccleſiæ contra nos eligunt; quod diſplicet pro ſenſu noſtro ſpirituali Euchariſtiæ, ſed proprio Prædeſtinationis & gratiæ, contra prætenſum liberum Arb.improbant; & hinc ad ſuam Eccleſiam, inde ad Sacram etiam Script. appellant. Sicq; derogant omnem fidem teſti principali ſuæ Eccleſiæ Romanæ: eumq; nobis ſolis cedunt in *Teſtem, ipſi Caluino lib. 3. Inſtit. c. 3. l. 4. c. 14. certiſſimum & ſufficientem.*

RESP. Nos noſtroſq; omnes ſemper prætuliſſe & præferre Doctrinā Sacræ Script. totius Eccleſiæ, & Papæ, cuiuis S. Patri. Nec vllum ex noſtris præſumere cenſurā vllius S. Patris: ſed ſi quos errores humanos à communi & antiquo ſenſu Eccleſiæ alienos,conciliare,explicare, vel excuſare. Nullum tamen ſapientem de vlla Doctrina S. AVG. diffidere, vel ab ea appellare: ſed omnes eo ad omnia vti; non vt Iudice, ſed Teſte & interprete Irrefragabili S.Script. & Eccleſiæ; necdum quidem ad fidem diuinam infuſam & infallibilem, ſed ad humanam,acquiſitam, & moraliter certā,ſufficiente. Vos autem eo, & alijs pro libitu abutimini: nunc negando quæ nunquam ſub dubio in Eccleſia fuerant; nunc præferendo eum Sacræ Scripturæ,toti Eccleſiæ, & Vicario Chriſti.

Ad fidem enim infallibilem veri Corporis Chriſti in Euchariſtia,ſufficit ſolū verbum Dei, toties & tam propriè in Sacra Script. expreſſum, & per ſe Eccleſiæ traditum ac interpretatum: vos autem ab hoc tā expreſſo verbo Dei, declinatis ad quoſdam ſenſus ſpirituales S. AVG. negando eiuſdem ſenſum proprium,ibidem vel alibi ſæpè expreſſiſſimum. Nam *Lib. 1. Doctrinæ Chriſtianæ cap. 6.* exprimit. *In ijs quæ apertè poſita ſunt in ſcriptura inueniri omnia illa quę continent fidē moreſq; viuēdi* .i. mandata Dei. Ergo, *Hoc eſt Corpus meum. Hoc facite, &c.*

Hæreſi 43. Imputat *Origeniſtis* in hæreſim, *quod Paradiſum & cælos, & alia non credebant ſecundùm literam, ſed in allegoria.* Lib. 2. de Geneſi contra Manichæos c. 2. præfert interpretem & ſenſum literalē omnibus: proteſtans ſe per ſenſus figuratos *non præiudicare meliori tractatui, ſiue per ſe, ſiue per alios.* Lib. 4. de Gen. ad literam. *Nec quiſquam arbitretur quod dixi de luce & die ſpiritali, non propriè ſed quaſi figuratè conuenire, &c. Vbi enim melior & certior lux eſt, ibi verior etiam dies: cur non tam verior veſpera, & verius mane? Lib. 6. c. 19. Enchir. 91. de fide & ſymbolo c. 6. & alibi ſæpè.* De vero & proprio dicto *corpore ſpirituali, in 1. Cor. 15. Lib. 3. in Gen. c. 18. 19. 20. 21. L. 12. Conf. cap. 31. 32. L. 3. Doctr. Chriſt. c. 27.* De omni vero ſenſu poſſibili S. Scrip. ſed præferendo certo fidei. *Cap. 16.* De regula interpretandi ſemper præceptum propriè, *niſi flagitiū aut facinus iubeat, vel bonum vetet.* Vt *Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. facinus vel flagitium videtur iubere. Figura eſt ergo &c.*

Hinc vt Phariſæi fruſtra inſidiabantur Chriſto *Matt. 22.* vt caperent eum in ſermone: ſic & hæretici præcipuè hîc & in Pſal. 98. *Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, &c.* fruſtra Sancto AVGVST. Quia præuenit omnes eorū calumnias explicando

plicando seipsum: non solum *Tract. 27. in Ioan.* & alibi sæpe; sed etiam hoc ipso *cap. 16.* & in *Psal. 98.* non de figura ipsius præsentiæ Corporis Christi toties ab eo propriè expressæ; nec de modo licito & salutari, spirituali seu Sacramentali manducandi; sed de solo modo noxio, criminali, cruento, Capharnaico, Antropophagico, vel saltem sensibili. *Spiritualiter*, inquit, *intelligite*, &c. Quod si, ipse S. AVG. à Deo remissus interpretetur: *Non hoc corpus quod videtis* .i. *non tale*: credes ne *Samuel*? Ecce tibi Tract. 95. in Ioan. *Non hunc Christũ erãt visuri Apostoli .i. non talẽ.* Ecce tibi meipsũ in famulum, ad præferendã hanc facem in penetralia S. AVG. de vera fide Eucharistię.

5. De prætensa inter nos dissensione.

Quasi contendendo de vero sensu & Authoritate S. AVG. deficeremus ab vnitate fidei, & pace Christi. Vt *Samuel* nobis exprobrat in sua *Synopsi.*

RESP. Ex Præfatis: Imò hæc ipsa humana à Deo referri & prodesse ad perfectiorem inter nos vnitatem, pacẽ, & charitatem. Cùm enim, *Oporteat & hæreses esse; vt qui probati sunt, manifesti fiant, 1. Cor. 11.* quanto potiùs humanas dissensiones?

1. Vt si grauiores sint, mereanturq; ad Ecclesiæ iudiciũ referri: inde probetur quàm sit necessarius in Ecclesia primatus, *nec sit opus Congregatione Synodi* ad singulas fidei controuersias; sed sufficiat definitio, vel saltem declaratio & inhibitio *Papæ.* Ex *S. Aug. libro 4. ad Bonif. c. 12.*

2. Si dissensiones opinionum non sint tantæ: sunt mutuæ monitiones, correctiones, & quasi emunctiones doctrinæ; ex æmulo quodam studio & obsequio fidei & Ecclesiæ illustrãdæ, & ab omni erroris vmbra discernendæ. Nec sunt contra, sed pro perfectiori vnitate, pace, & charitate. Cùm S. AVG. *4. Conf. 8.* inter officia amicitiæ referat: *Dissentire interdum sine odio; atq; ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas.* Exemplo SS. PETRI & PAVLI *Gal. 2.* HIER. & AVG. supra.

3. Nec mirum si qui pro suis animarum fœtibus moderationem inculpatæ tutelæ excedant: cùm non solùm feræ pro suis catulis; sed & gallinæ pro suis pullis in quosuis inuolẽt. Nõ tamen sine fructu: sed ad mutuum exercitium, & exemplum publicum humilitatis, patientiæ, facilis reconciliationis, condonationis, & satisfactionis; salua semper veritate.

4. Nec tanti apparatus, quasi pro & cõtra S. AVG. sunt hostiles: sed honorarij Doctrinæ eius, vt *col. 29. 30.* & Ecclesię vtiles; ad lustrandum quasi exercitum, & poliẽda ac probanda arma antiqua totius armentarij contra solos hostes. Pro authoritate infallibili solius Sacræ Script. Ecclesiæ, & Vicarij Christi: Irrefragabili autẽ S. AVG. saltem contrariè, seu tam præ reliquis probabili, & moraliter certa; vt si cui libeat alteri sibi notiori & gratiori suffragari, non tamen liceat huic vt falsæ vel suspectæ refragari, nec eam vt improbabilem reprobare, nec vllam inferiorem vt probabiliorem & certiorem ei præferre.

5. Nec vlli videatur S. AVGVST. errasse, aut dubitasse. 1. De Angelis corporeis, seu animãtibus corpora cœlestia, vel ætherea. 2. De Traductione animarum nostrarum. 3. De necessaria Communione Sacramentali infantibus ad salutem. 4. De illicita occisione inuasorum vitæ propriæ. 5. De cruciatu infantium sine Baptismo morientiũ. 6. De Antipodibus.

6. Cum enim. 1. sit doctrinę Platonicę, supponatq; ex eadem doctrina Angelos esse Animas, ex præmeritis aut demeritis, corporibus perfectioribus vel imperfectioribus per totũ mundũ immissas: AVG. toties retractat, quoties omnes errores doctrinæ Platonicæ. Vt, *Angelos esse Animas: totũ hunc mundum esse animal, dæmones esse animalia*: docetq; *potiùs rectissimè credi*, Angelos spirituali virtute Deo seruire ad mundũ administrandũ; nec Animas à Deo factas diuersa corpora meruisse; nec Dæmones incorporeos animaturos suũ ignem pœnalẽ, &c. *1. Retract. 1. 4. 5. 7. 8. 11. 13. 14. 15. 16. lib. 11. Ciu. 12. lib. 21. c. 10.* Quæ omnia vari S. AVG. discipuli conferre dignentur.

Nec 2. est AVG. Animas nostràs traduci materialiter; sed solùm dispositiuè & exẽplariter. Vt patet 1. Ex illa *hæresi 81. 86. Luciferanarum* & *Tertullianistarum*, apud ipsũ AVG. 2. Ex certissima eius fide & scientia quod animæ nostræ sint incorporeæ, indiuisibiles. *Epist. 28. ad S. Hier.* 3. Ex *Epist. 157.* vbi cõparat traductionẽ animæ ex anima, faciei ex facie. 4. Expressissimè & absolutè *10. in Gen. 3.* Animas nostras creari ad similitudinem primæ, & dispositionem corporis.

Nec 3. Vt patet ex *lib. 1. de pec. mer. & rem. c. 19. lib. 2. c. 18. lib. 3. c. 4. V. Beda in 1. Cor. 10. ex S. Aug.* Quòd Baptizati sint incorporati Corpori Christi: ideoq; morientes ante vsum rationis, & aliam sacram Communionem, sine dubio saluentur.

Nec

Nec 4. Nisi non licere ex solo amore inordinato vitæ temporalis, præ bono communi, vel proprio, & alieno, spirituali ac æterno. Vt patet ex *lib. 1. de lib. Arb. c. 4.* Contra omnia & sola malefacta ex libidine. Et *Epist. 154.* vbi excipit, pro bono cõmuni.

Nec 5. Quia non est error Doctrinæ: sed solius facti, ex prudentissima coniectura, seu principijs credibilioribus Sacræ Script. apud *S. Aug. 16. Ciu 9.* Nec constat, an, qui, & quibus directè opponamur, vel fortè mari ampliori omni terra habitabili.

Nec 6. Quia ex *lib. 1. de pecc. mer. & rem. cap. 15. Enchir. 93.* pœna illa erit *omnium mitissima, tolerabilior. Enchir. 112 quàm minima ibi cogitari potest. 5. In Iul. c. 11.* Erit *leuissima*, nec *tanta vt eis expediret non esse. Lib 21. Ciu. 10. Ex varijs illis, sed miris modis* patiendi ab igne: qui supponunt aliquam subiecti impatientiam, cuius illi non sunt rei, nec capaces.

Cùm ergo tot sint horum sensus, saltem probabiles: nemini licet tribuere *S. Aug.* vllum falsũ, præ probabili. Sicq; omnes facilè conciliantur toti Doctrinæ *S. Aug.* vel potius sensui communi Ecclesiæ: à qua *S. Aug.* tantâ Sapientiâ, tamq; humili & vero sensu de se, ex seipso, tantam famam promeruit.

Quis enim non admiretur illas tam indignas opiniones *S. August.* hacq; ipsa admiratione non suspiciat aliquid in *Aug.* supra illas?

Quis ergo non gratuletur, potiusq; assentiatur his nostris veris sensibus, quàm illis falsis? Quis non hinc libenter reuocaret si quam de vlla Doctrina *S. Aug.* suspicionem vel exceptionem: potiusq; suspicaretur de se ipso, seu de proprio sensu falso?

Nec tamen vllus, nec vllam, nisi forte subdolè, vt GENNAD MASSIL. tũc Semipelagianus, *col 15.*

Qui enim videntur ei imputare aliquem excessum contra hæreticos, in pœna puerorum: Non erroneum aut vitiosum; sed supra necessariam fidem, aut sensum communem. Vt *S. Bonau. S. Thomas*, qui *q. 5 de malo a 2.* RESP. *Aug. esse largè accipiendum* .i. Non in centro fidei, sed sphœra veri.

Si qui præferant ei rationem .i. Euidentẽ. De qua cui constet? Cùm *Alipius* apud *Aug l. 3 contra Acad. c. 5.* dubitet ne fortè videatur, ex defectu ingenij.

Si qui videntur præferre *S. Thomam.* RESP. Vt supra *col. 19. à l. 54.* vel etiam oratoriè & hyperbolicè; non dogmaticè, vel propriè, vt de S. AVG.

Si cui ex CŒLEST Papa videtur liberum sequi aliam opinionem, quàm *Aug.* RESP ex eo supra *col. 7.* Non ex huius contemptu aut suspicione falsi, sed suspectione veri supra captum.

Si cui sententia *S. Aug.* non videtur *Irrefragabilis*, sed solùm *probabilis* .i. Non tam, quàm Sacræ Script. aut Papæ; sed vt supra *col. 41. à l. 48. col. 40.* seu probabilissima.

Si quæ, cui, nec *probabilis*, nec *verisimilis* videtur. .i. Illi, non quin in se sit plus quàm talis.

Si cui quasi in, & ex *Aug.* apparent *monstra* vel *figmenta*. i. Vel retractata, vel sola phantasmata fine assensu, vel nostra, non illius.

Deniq; si quis nostrûm aliter opinetur: fallitur vano timore falsi, & inaduertentia veri. Sic enim nostros omnes rectè, non sinistrè interpretamur.

Nec *dist. 9. & 15. Decreti. ex S. August.* Datur cuiuis facultas corrigendi SS. Patres, minùs *S. Aug.* Sed *c. 8. Sapientioribus, Grauioribus, Doctioribus, Prudentioribus, Episcopis vel Concilijs.* Qui autem vel vbi sunt tales, præ ipso *S. Aug.*?

Nec ipse potuit aut voluit se submittere alijs, in præiudicium, & post iudicium Ecclesiæ.

6. De prætensâ præsumptione.

Minoris Monachi: quasi protegendi famam PAPÆ & Doctrinæ S. AVG. docendiq; omnes nouum & obscurum quendam sensum medium S. AVG.

RESP. Protectio, est Superiorum: sed fidelis zelus Subditorum, Satellitum, Vigilum, & militum gregariorum, est necessarius omnibus Principibus, Regibus, ipsiq; Papæ. Pharisæi *Ioan. 9.* exprobant illi cæco nato, sed solo luto ex sputo Christi, illuminato: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Cùm tamen non doceret, sed solùm eis verè responderet. Sic nec ego te, aut vllum doceo: sed ad solùm MAGISTRVM CHRISTVM, *Mat. 23.* idest veritatem, inuito tecum ipso *S. Aug.* vt primo eius discipulo, *lib. de Magistro.* Ne ergo dedignemur esse tanti *Magistri, & Discipuli*, quasi subdiscipuli: sed inter nos cõdiscipuli, in gradu infimo huius Scholę.

Quamuis consenuerimus, non erubescamus vt gemelli renasci, & fieri sicut paruuli, *Ioan. 3. Mat. 19.* cum hoc ipso Magistro nostro, & *S. Aug.*

Repuerascamus, mi *Samuel*, ab ipso signo S. Crucis, cum & ex S. AVG. *1. Conf. 11.* SIGNABAR IAM SIGNO CRVCIS CHRISTI.

Condiscamus PAPARE & MAMARE i. nostrum ABBA PATER noster qui es in cœlis; Et *Aue Maria*, seu MATER NOSTRA quæ es in cœlis: PAPA noster super terra, & MAMA nostra Ecclesia. Cùm enim non soli pueri, sed & viri nobiles affectent suos parentes PAPARE & MAMARE: cur erubescamus hanc fidem, affectum, & eius professionẽ erga PAPAM & Ecclesiam? Exemplo ipsius S. AVG. quo nemo fideliùs & affectuosiùs sic PAPAVIT & MAMAVIT. Vt patet ex *Epist. 162. In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedra viguit principatus.* Infra. *Quàm innocens, quàm integra, quàm prouida, & pacifica* B. MELCHIADIS *vltima sententia! O virum optimum, ô filium Christianæ pacis, & Patrẽ christianæ plebis!* Lib. de vnico Baptismo. *Marcellinus, Melchiades, Marcellus & Syluester, traditionis codicum diuinorum, & thurificationis crimine arguuntur: sed nunquid conuincuntur? Ego innocentes fuisse respondeo.* Lib. 3. contra Petil. c. 9. *Securi estis qui Deum patrẽ, & eius Ecclesiam Matrem habetis.* L. 1. Contra Gaudentium c 33. *Audes dicere Ecclesiam Catholicam humanum esse figmentum?* In Ps. 147. *Tã nullam habet dubitationem Ecclesia & vxor Christi; quàm Corpus Christi, demonstratum oculis, & contrectatum manibus Discipulorum.* Lib. 4. de symbolo c. 13. *Non habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.* O PAPARE, O MAMARE! Quis erubescat imitari? Quis PAPA talem, tantum, & tantillum filiolum condemnaret?

Consuescamus etiam virgis Matris Ecclesiæ exosculandis, seu eius disciplinæ, & pœnitentiæ ac confessioni etiam Sacramentali. Ex ipso *S. Aug.* 10ties tamq; expresse; sed & vt Confessario auriculari. *Lib. 1. Ciu. c. 22.* NOS PER AVREM CONSCIENCIAS CONVENIMVS, *&c. Epist. 259 260.*

Frequentemus cum Matre Ecclesia ad Sacrificiũ Missæ: discamusq; ei ministrare, & ad singula respõdere,

dere, saltē AMEN. Ex *S. Aug. 9. Conf. 13. lib. de Magistro c. 1. L. 12. contra Faustum c. 10. In Psal. 39. 93. 109.*

Proficiamus in Commensales Matris Ecclesiæ, Christi, & B. AVG. A quo *l. 3. Trin. 10. Dicatur pueris authoritate grauissimâ cuius corpus & sanguis sit.* Lib. 12. Contra Faustum 8. *Habet magnam vocem sanguis Christi: cùm eo accepto ab omnibus respõdetur* AMEN. Lib. 20. c. 13. *Noster panis & Calix certa consecratione mysticus fit nobis Corpus Christi, nõ nascitur.* Lib 3. Trin. c. 4. *Nec linguam, nec sonos, nec signa conscripta, Corpus Christi & Sanguinē dicimus: sed quod prece mystica consecratū non sanctificatur vt sit tantū Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei.* Tract. 26. in Ioan. *Non das in carne & Sãguine tuo nisi quod es.* In Ps. 98. *Christus à carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam manducat, nisi prius adorauerit.*

Nec opponas, ex Ioan. 6. *Caro non prodest quicquam: verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt. i.* ex AVG. in Psal 98. *spiritualiter intelligenda sunt.* Quia nec caro Christi est hic sine eius spiritu: nec *spiritualiter intelligi*, est metaphoricè, imaginariè, sola fide sine re: sed vera fide, & re, de vero Corpore, modo spirituali, insensibili, & indiuisibili, vt anima in corpore, non corporali, sensibili & diuisibili. Vt supra *col. 48.*

Ex fideli auditu Missæ & lectione B. AVG. l. *de moribus Ecclesiæ c. 34. l. de vera Religione c. 55. L. 20. Contra Faustum c. 21. L. 8. Ciuit. c. 27. L. 22. c. 10. & alibi:* Condiscamus, solum Deum Sacrificio coli, & sacrificialiter inuocari; sub eo tamen sanctos Angelos & defunctos commemorari, Deumq; etiã per eorum preces & merita ad fructum huius sacrificij inuocari. Quem modum inuocandi Deum directè, Sanctos autem indirectè, cùm tu ipse mi *Samuel*, inter nostros exorcismos, contra *Art. 5.* vestræ Confessionis, expressè fatearis: non est quod diffitearis eorum inuocationem directam, vt orent Deum pro nobis. Cum possint, nec tamen opus sit, eos audire; sed solùm Deum & Christum exaudire, vt supra.

Ex eadem fide & doctrina S. AVG. *l. 9. Conf. c. 12. 13. l. 1. de Anima & eius origine c. 9. Enchir. 110. Toto l. de cura pro Mortuis*, Contra tuam inter exorcismos nostros improuidam negationem: concredamus, confiteamur, & coofferamus preces & sacrificia pro fidelibus defunctis, per ignem purgatorium saluandis.

Nec negligamus ipsam Ecclesiæ Grammaticam, & Poesim, seu Musicã. Quia ex AVG *l. 10 Ciu. c. 23.* Nobis non nisi ad certam regulã loqui fas est; nec cõtentiosè tonũ Ecclesiæ excedere. Vt enim exercitus hostiles voce & symbolo militari discernuntur: sic & vera Ecclesia voce *Homousios*, *Theotocos &c.* à simili homoiousios, Christotocos &c. Qui ergo non libenter repuerascant, vt inter Ecclesiæ Matris collactaneos, condiscipulos, quasi Coraulos seu symphoniacos, & commilitones, eodem lacte pascantur, eadem lingua seu grammatica fidei imbuãtur, eodē cõcentu & symbolo fidē profiteãtur?

A grãmatica & musica fidei, ad propriam eius Dialecticã, seu modum omnia discendi, & sciendi: ex Apost. *1. Cor. 8. Si quis se existimat aliquid scire, necdum scit quomodo oporteat eum scire.* Et exemplo B. AVG. *Epist. 119. c. 21. In ipsis S. Script. multò nescio plura, quàm scio*, & alibi passim.

EPILOGVS.

HOc modo sciendi, mi *Samuel*, sequamur IESVM inter Doctores, contendentes. Non inter illas indiuisibiles fidei lineas: sed inter extremas de libero Arbitrio, Gratia, & Prædest. ac Reprobat. opiniones; nec declinando ad condemnatas, vt nimis rigidas & inhumanas; nec ad suspectas, vt nimis faciles, & humanas. Nec abhorreas ab hoc sensu medio, vt nouo, obscuro, vel affini odioso tibi *Molinismo*, seu Scientię medię. Quia hęc non est via media, sed extrema, nimis humana, & à profundo illo *Apostoli & S. Aug.* aliena. Superest ergo solus sensus medius: non vt nouus, sed antiquus & continuus.

Quid mirum si obscurus, & vmbrosus: inter nimias illas tenebras, & hanc nimiam lucem humanam?

Quem ego neminem doceo, sed ab anno 40. ex S. AVG. studiosè discendo, omnes desuper consulo: tibiq; inter omnes seu tuo aspero pumici poliendũ expono.

Sed vt S. AVG. refert *3. Conf. 11. Exaudisti matrem meam, &c. Vidit me iuxta se in eadem Regula stantem.* Vtinam talibus precibus & lachrimis, potiùs quàm exorcismis, mereamur videre te, tuumq; *Hottonem*, & si quos alios mihi ab ipsa antiqua colluctatione syncerè deuinctos, in eadem linea fidei nobiscum stantes, & cum fratre tuo Germano, Monacho VALLIS DEI, infra MACERIAM, veroq; animarum pastore. Ex qua linea securè æmulando collimaremus, per sensum medium, ad centrum veritatis.

In quem finem, vt ego bonâ fide & conscientiâ non possum quin audita & lecta tua in Ecclesiam Romanam & *Papam*, imò & *Aug.* publica & blasphema mendacia, renouatâ exorcismorum cõminatione, animo tamen in dies mitiori, compescam: sic & ego nostra omnia, ab initio pro vobis edita, vobis etiam animo placatiore, & salutis capaciore excipienda cõmendo. Nec possum satis inculcare illud, væ vobis à casu vestri illius *Somasij* ad aquas Spadanas 1653. teste eius vxore, subministro *Stuvart*, Medico, & alijs, quorũ nominibus parco. Væ ab illa morte, manducando linguã suã præ furore, vt *Apoc. 20.* An ex sola vi morbi, vel etiam vindicta Dei, in plurimas blasphemias vestri similes: solus Deus scit, sed vos cauete.

FINIS.